

dum. Licet enim ad id habeat potentiam per gratiam justificantem; tamen, ut exeat in actum, indiget auxilio speciali. Id ut ex S. Thoma probavit, in Molina Vindices infurxerit Archiepiscopus Armachanus. Reverendi Patres, inquit, debuisse animadvertere, quod est duplex potentia, alia ab actu separata, alia actu conjuncta. Quibus, tantum abest, ut cesset Arrubal, ut potius multo magis obstruere animam. Conversus etenim ad Summum Pontificem subjunxit: Beatissime Pater, constat, esse definitum in Concilio, hominem per gratiam justificatum non habere potentiam ad perseverandum: & ego non dubitarem pro ista veritate sanguinem fundere. Immoderationem illam derisit Prædicatorum Generalis. Certe mirum est, exclamavit, quod Molina docet, hominem sine gratia posse tentationibus resistere; & quod neget, hominem in gratia constitutum habere potentiam ad resistendum tentationibus! Nec ob id tamen a pristino sensu discessere Molina Vindices: immo vero identidem digressi, ut objectis satisfacere, in id continuo redibant, ut ostenderent, hominem justificatum non habere perseverandi potentiam, etiam ab actu sejunctam, sine novo auxilio. Idque adeo e re sua putabant esse, ut cum quendam Augustini locum laudasset Arrubal, ubi justum sine gratia perseverare non posse, docet (tametsi de potentia ab actu sejuncta ibi agi, non probasset) in genua procubuerit Ferdinandus de Bastida, Pontificem rogans, ut locum illum a Secretariis diligenter notari juberet, quasi rei conficiendæ maxime opportunum.

Post hæc disputatum est de octavo Article. An Molina cum Cassiano conveniat in hac assertionem: Quod ante receptionem gratiæ servanda sit laus Libero Arbitrio? Legitur apud Molinam Disp. 9. §. Utique, & quæst. 13. disp. 1. mem. 6. Convenire, insinuat Arrubal; quia Cassianus significavit, esse laudem Libero Arbitrio, tamquam de opere pio, & ante omnem gratiam: Molina autem, laudem esse solum ante gratiam justificantem; supponens, ea opera laudabilia facta esse, jam concurrente gratia præveniente. Addidit, nullius erroris reum fore Molinam, etsi de laude, ac merito, gratiam antevertere loqueretur; id quippe de industria, & laude morali intelligendum veniret; cum alias compertum esset, illum operibus, gratiam prævenientibus, laudem omnem negasse in ordine ad pietatem. Concessit tamen ultimo loco, equidem secundum Molinam Libero Arbitrium, & Gratiam, ut duos trahentes navim, in piis operibus eliciendis concurrere; Non per hoc tamen negandum esse, liberum arbitrium subordinari gratiæ; quia vetera

(1) Ex Actis Secretarii. In Compendio sic de septima Propositione. Ex c. 13. & 14. Collat. 13. colligitur, voluisse Cassianum ex Pauli sententia confirmare illud, quod prius docuerat exemplo Job, posse scilicet hominem ex naturali facultate, antequam per Divinæ Gratiaæ adiutorium ulla a Deo vires accipiat, superare quancunque etiam graves tentationes, & nihilominus admisisse, hominem, in tentationibus constitutum, a Deo adjuvari cum extrinsece, quatenus moderatur tentationes, ne graviores insurgant, quam ut illis valeat naturæ viribus resistere; tum etiam interius, excitando humanam industriam, & cooperando cum hominis voluntate, propria virtute pagante, ad victoriam perficiendam.

Eandem fuisse Molinæ sententiam, & eodem modo, atque in eundem finem ab eo explicari Apostoli testimonium, de quo quaritur, demonstratur ex tota disp. 10. cum enim memb. 2. constituit Propositionem septimam superius relatum, addidit ex Pauli testimonio, quod sibi obstat videbat, non sequi aliquam esse tentationem, quam in potestate nostra non sit ex facultate naturali superare, sed nisi auxiliari voluerimus; sed ita illud intelligendum, ac si dixisset, nos non fore passuram, nos tentari pluribus, & difficilioribus, & diuturnioribus tentationibus; quam pro ratione auxilii, quod ipse impendit, possimus commode sustinere.

Cum autem in via Molinæ nulla alia gratia sit homini necessaria, nisi voluntatem, invitantem, & allicientem, quæ non tribuit vires voluntati ad operandum, sed tantum quid faciendum sit, admonet, & ad id hominem invitat, & allicit; censuit Congregatio, Molinam in verbis, & in sensu consentire cum Cassiano in explicatione illius testimonii Apostolici, quam idcirco omnino rejiciendam, putavit, quoniam virtutem ad resistendum gravibus tentationibus, quam a sola Spiritus Sancti gratia hominem habere, docuit Sanctus Augustinus, definitum Concilium Arausicum. 11., & SS. Pontifices Innocentius, Zozymus, & Celestinus declaraverunt, adscribit Molinæ Libero Arbitrio ex sua naturali facultate, & innata libertate; gratiam vero tantummodo exigit ad commode, seu facile resistendum; neque aliam gratiam intelligit, quam quæ excitet humanam industriam, & voluntatem invitet, & allicit.

Deus subordinat sibi, & gratia sua liberum hominis arbitrium; ita ut prius Deus moveat liberum arbitrium.

Hoc ultimum ægre tulit Clemens VIII. idcirco sermonem abruptum reposuit: Si per Molinam Libero Arbitrium determinat Gratiam, ita ut reddat illam efficacem; quomodo secundum Molinam Libero Arbitrium movetur a Gratia? Ad quod ille respondit: Beatissime Pater, quod auxilia sint efficacem, est a solo Arbitrio. Est etiam alius sensus, quod hi actus sint a libero arbitrio; & ea præcisa ratione a Deo tantum, ut auctore nature.

Universam Arrubalis actionem confutandam aggressus est Thomas de Lemos. Ostendit in primis, juxta Molinam Libero Arbitrio laudem adscribi ante gratiam etiam prævenientem. 2. Conatus Libero Arbitrii, quatenus a Libero Arbitrio proficiuntur, a Deo duntaxat esse, ut auctore nature, a quo libertatem accipit. 3. Hominem a seipso, non item a Deo ad consentiendum applicari: qua parte laudem non minimam promeretur. 4. Laudem illam, saltem moralem, humanis conatibus adscribi eo fine, ut ei gratia præveniens ex certa lege conferatur: qua in re erroris caput situm est.

Pauca subiungere Bastida, & Arrubal, ut ostenderent, Deum secundum Molinam esse causam bonorum operum moralium. Quibus cum Lemosius sæpius objecisset, id minus stare posse; utpote qui concursum universalem, duntaxat indifferenter, a libero arbitrio determinabilem, ac demum in mera excitatione, & suasionem situm, admisisset; ultimo reposuerunt, Molinam Gratiam duntaxat per se efficacem, ac prædeterminantem negasse; minime vero cooperantem, cujus ope voluntas applicetur ad opus. Quo audito, Prædicatorum Generalis una cum Thoma de Lemos conclamarunt: Hoc non est applicare voluntatem ad agendum; nisi enim prius natura applicetur per gratiam, ipsa se applicabit, & determinabit ex propria facultate. Quod nos, tanquam Pelagianum, dicimus esse in Molina damnabile.

Judicium de duabus propositionibus, superius disputatis.

(1) Die 21. Januarii 1603. hora 17. cen- fuerunt omnes DD. Episcopi, excepto D. Aquilano, Molinæ propositiones, septimam, & octavam convenire cum damnata Cassiani sententia. Patres etiam Theologi similiter judicaverunt, excepto Patre Regente Carmelitarum. Absolvitur prope horam vigesimam primam.

C A.

CAPUT XIX.

Quid vigesima-prima Congregatione disputatum?
Quid vigesima-secunda definitum?

Die 27. Januarii 1603. coram Clemente VIII. vigesima-prima Congregatio celebrata est. Discussus tertii Scripti Articulus nonus: Utrum Molina cum Cassiano conveniat in hac Propositione: Quod ad donum perseverantia nihil aliud requiritur, quam gratia habitualis, & auxilium sufficiens? Legitur quæst. 23. disp. 1. memb. ult. §. Secundum est; & disp. 14. memb. 3. §. Quarto.

Nihil eos inter se convenire, dixit Arrubal. Probat, Molinam, præter Auxilium sufficiens, & gratiam habitalem, agnovisse speciale quoddam auxilium, & peculiare adiutorium Dei, necessarium ad perseverandum. Istud vero peculiare auxilium, ait, esse Gratiam efficacem, non ex se, sed ex directione Scientiæ-Mediæ, cujus naturam his verbis exposuit, observatione dignissimis: Suppono, hoc auxilium, quod facit perseverare, non esse efficacem ex vi suæ nature, & de se; quia aliter illa efficacia esset inseparabiliter cum illo actu conjuncta, sicut color est inseparabiliter conjunctus cum albedine; & tunc esset auxilium prædeterminans, quia efficacem de se, & prædeterminans funt idem. Est ergo efficax, quia Deus prævidit, hominem cum illo infallibiliter perseveraturum. Ad hoc autem, ut Deus prævideret hominem consensurum esse in actum suum ex dono perseverantia, necesse est, in primo signo Deum habuisse cognitionem talis consensus futuri; alioquin non potuisset Deus eligere hominem illum ad talem actum, certo, & infallibiliter per liberum arbitrium futurum, nisi prius cognovisset, liberum arbitrium consensurum, & cooperaturum esse cum dono illo certissimæ perseverantia. Deus ergo talem elegit, qualem cognovit certo futurum. Si quidem si donum perseverantia ex sua natura habet, & infert talem effectum; oportet, ut Deus habuerit talem scientiam, cum qua Deus in primo signo cognoscit, talem causam, seu liberum arbitrium dono illi consensurum, & cum eo cooperaturum: Hæc autem est scientia conditionata, cum qua Deus prævidet, quod, si huic homini talia auxilia conferantur, libere consentiet, & cooperabitur. Quemadmodum igitur, si Medicus velit certo aliquem sanare, necessum est, prius cognoscat, si talia media adhibeantur, per ea hunc esse sanandum; ita non possunt auxilia certo sciri consequutura suum effectum, nisi prævideatur tale medium, scilicet cooperatio, & consensus liberi arbitrii, quo posito, effectus ponitur infallibiliter.

Progressus deinde ad ea exponenda Molinæ lo- Serry Tom. I.

ea, quibus ejus cum Cassiano consonantiam Prædicatores, dato scripto, demonstraverant: nempe, „ Cum auxilio, cum quo unus usque in fine, „ nem vitæ perseverat, potest, si velit, non perseverare: Et cum auxilio, quod Deus confert, præterea est conferre ei, qui non perseverat, potest perseverare: ac per eum stat, „ quod non perseveret; & alia hujusmodi: contendit, horum locorum sensum esse, unum, idemque secundum entitatem, & essentiam auxilium dari perseveranti, & non perseveranti; tamen perseverans auxilium illud, ex se mere sufficiens, efficacem reddat assensu suo, quem Deus Scientiæ-Mediæ lumine futurum esse prænovit. „ Id vero totum, subjunxit, est doctrina communis omnium Patrum, qui docent, auxilia „ Divina per nostram cooperationem, & consentium reddi efficacem, vel per diffusum inefficaciam. Ex quo apparet, nullum esse Patribus do- „ cuisse, Divinum auxilium secundum suam entitatem, & essentiam esse efficacem; ita ut essentia auxilii efficacem distinguatur ab essentia inefficacis, sicut distinguitur essentia albedinis ab essentia nigredinis. Id porro probandum aggressus est ex SS. Chryostomo, Leone Magno, „ Anselmo, & Thoma Aquinate.

Pro parte opposita militavit Thomas de Lemos. De Scientiæ-Mediæ breviter dixit; quia specialis eo de argumento futura erit disputatio. Obiter solum observavit, eam speculativam esse, non practicam; ac propterea non conducere ad efficientiam, & efficaciam Divinæ Gratia. Addidit, juxta eam hypothesein liberum arbitrium prius natura incipere; Deum autem finis tempore cooperari. Efficaciam etiam Gratia a liberi arbitrii cooperatione suspensam, illam ipsam esse, ostendit, quam Augustinus, ejusque discipuli in Semipelagianis impugnarunt. Loca tandem, ex Patribus objecta, in Molinam retorfit, jus sensum, ambiguis, & æquivocis verbis involutum, in aperto posuit.

Duo priora, a Lemosio licet obiter dicta, impugnavit Petrus Arrubal. Primum, Scientiam-Mediæ practicam, & operativam esse air eo sensu, quia Deus ejus lumine prævidet media, sua talem effectum, & finem habitura, seu novit, liberum arbitrium Divinis auxiliis cooperaturum. Secundo contendit, Molinam ne per somnium quidem admisisse, liberi arbitrii influxum, prioritatem nature, gratia cooperantis influxum antevertere.

Illud ultimum prius occupavit Thomas de Lemos, adductis Molinæ verbis ex disputatione 41. quæ frustra dissimulare, ac subterfugere, tentavit alter. Si sumatur gratia, inquit Molina, ut posterior tempore, vel natura, sortitur rationem gratia cooperantis: videlicet, dum, consentiente jam libero arbitrio, influenteque in actum suum, ipsa quoque in eundem actum influit, cooperaturque simul cum libero arbitrio: simul, inquam, tempore; siquidem

C c 2.

Tum de Ohsava: Fuisse expressam Cassiani sententiam, quod ante receptionem gratiæ servanda sit laus Libero Arbitrio, apparet in c. 14. Collat. 13. Unus enim Semipelagianorum fuit error, posse hominem ex sola naturæ facultate credere Divina mysteria, desiderare, petere, & querere Dei misericordiam: quem errorem condemnavit Concil. Arausic. II. Can. 6. & 7.

In eundem vero errorem lapsam fuisse Molinam, constat ex eo, quod expresse docuit in disp. 9. §. Ut que videlicet, ante receptionem gratiæ Libero Arbitrio propriam industriam, & laudem servari, oportere. Hanc enim Libero Arbitrii industriam, & laudem in eo constituit, quod, antequam per gratia adiutorium exciteretur, & adjuveretur, illos actus ex facultate nature eliciat, naturales quidem ex parte principii, supernaturales autem ex parte objecti, quæ Gratia Divina, ex lege a Deo constituta, infallibiliter consequatur.

At vero secundam veram, & Catholicam doctrinam certissimum est, in justificatione, & post justificationem ita agnoscendum esse propriam laudem, & industriam Libero Arbitrii, moti tamen, & adjuvi Gratia Divina, ut laus illa simpliciter Deo accepta referatur: ante justificationem, & receptionem primæ Gratia Divinæ nullam laudem, & industriam propriam tribui posse Libero Arbitrio, a Deo a vero, & Deo adverso, nisi (quod ablit) in sententiam Pelagianorum cum Cassiano descendatur. Quomobrem ex sententia omnium conclusum fuit, Molinam cum Cassiano consentire in hac 8. Propositione, dissentientibus tamen D. Episcopo Aquilano, & P. Regente Collegii Carmelitarum.

dem antea prioritatem naturæ libera arbitrio de- dit, dum dixit: consentiente jam libero arbi- trio.

Nulla huic argumento data responsio est. Idcirco recta ad alteram responsum partem se con- tulit, qua Scientiam Mediam practicam appella- verat Molina Vindex. Quo abusu hoc ei nomen datum fuerit, sic ostendit: Dixit Pater, scientiam illam conditionatam esse operativam. Sed quomodo? si Deus, antequam velit (qua voluntas Divina est prima practica, & operativa) alicui conferre auxi- lia, videt, quod ex suppositione talium auxiliorum cooperabitur per innatam libertatem: deinde vult, & decernit talia media illi conferre, & per conse- quens videt operationem. Certe in illo priori, ante decretum voluntatis, scientia non est, nisi speculati- va, licet post decretum sit practica, postquam vo- luerit: & voluntas creata est causa, quod auxilia illa, & voluntas Dei sit efficax, & habeat suum effectum.

Cum autem denuo, nonnullis interjectis, ean- dem Scientiam-Mediam impetierit Thomas de Lemos ex inconvenientibus, a S. Thoma indigi- tatis quest. 6. De Verit. art. 3. in corp. ubi do- cet, dici non posse, quod predestinatio supra certi- tudinem providentiæ nihil aliud addat, nisi certitu- dinem præscientiæ: Respondit Arrubal: Si aliquis diceret, scientiam tantum speculativam esse radicem, & causam certitudinis predestinationis, & perseve- rantia, vera essent, que dedit S. Thomas: sed nos asserimus, certitudinem earum sumendam esse ex scientia directiva. Ad hoc enim tendit præscientia illa, ut per eam videat Deus, quoniam media op- portuna, & necessaria adhiberi debeant, ut ex eis sequatur effectus certus perseverantiæ, & predestina- tionis, & cum quibus sit cooperatura nostra libera voluntas. Et de hac non sequitur inconveniens S. Thome.

His Clemens interfatus est. Si vera sunt hæc, inquit, de præscientia Dei conditionata; ergo ante decretum Divinum videtur, liberum arbitrium pro innata libertate operatum. Reposuit ille: Opti- me, Beatissime Pater: videt Deus, quod, si tale auxilium conferat libero arbitrio, liberum arbitrium cooperabitur. Tum quaesivit Pontifex. Quod au- tem homo cooperetur, pendetne ex Deo? Respon- dit: Pendet; sed non solum a Deo, sed etiam a libero arbitrio, pro innata libertate. Nam Chryso- stomus dixit, auxilia Dei posse reddi inefficacia; &

S. Augustinus lib. De dono perseverantiæ cap. 14. inquit: „ Ex quo apparet, habere quosdam in ipso „ ingenio Divinum naturaliter munus intelligentiæ, „ quo moveantur ad fidem, si congrua suis menti- „ bus vel audiant verba, vel signa conspiciant. In hoc loco necesse est, ut S. Augustinus loquatur de gratia etiam interiori, non tamen de sufficienti, & externa, que omnibus datur, quantum satis est. Quid hoc pertinet ad ingenium naturale? Cum ergo hæc auxilia, etiam interna, sint ex se indifferentia; oportet, ad hoc ut Deus sit certus de effectu perseve- rantia, & predestinationis, ut præcognoscat, quid liberum arbitrium, & cur, & quando, & quomo- do sit cooperaturum. Ad que doctissimus Ponti- fex: Ergo, ut Deus sit certus de effectu perseve- rantia, & predestinationis, eget videre in ipso li- bero arbitrio, quid illud sit pro innata libertate fa- cturum. Subjuxit Arrubal: Eget quidem ut ob- jecto, non ut ratione, vel specie, qua videat. In- stitit rursus Pontifex. Præsit Deus dona sua, ut docet nos sæpissime S. Augustinus libro de predesti- natione Sanctorum, & libro De dono perseverantiæ, & alibi. Reposuit iterum ille: Præsit quidem dona sua, quatenus præcognoscat, quid liberum ar- bitrium, & quid auxilia sua simul sint factura.

Quibus dictis, nonnullisque a Lemoso subjun- ctis pro S. Augustini sententiæ expositione, con- gressus solutus est.

Judicium de nona Propositione disputata.

(1) „ Die 28. Januarii 1603. hora 16. cen- fuerunt DD. Episcopi, Molinam sentire cum „ Cassiano in nona Propositione, quæ est de do- „ no perseverantiæ, excepto D. Aquilano. Simi- „ liter censuerunt Patres Theologi omnes, exce- „ pro P. Procuratore S. Augustini, qui dixit, „ esse suspectum quantum ad sensum; convenire „ tamen expresse quantum ad verba; & Patre „ Regente Carmelitarum, qui dixit simpliciter, „ & absolute, Molinam in præfata Propositione „ non consentire cum Cassiano. Absoluta prope „ horam vigesimam Congregatio.

C A

(1) Ex Actis Secretarii. At in Compendio sit: Ex Epistola S. Hilarii ad S. Augustinum apparet, triplici- ter errasse Semipelagianos circa questionem de dono perseverantiæ. I. Quia volebant, ut hoc donum predicaretur ita singulare, ut liberum cuique non esset, illud habere, tanquam a cuiusque propria voluntate penderet illi- tum accipere. II. Quoniam negabant, talem hominibus perseverantiæ dari, que non posset contumaciter amit- ti. III. Quia asserbant, fatalem induci necessitatem, si ejusmodi donum perseverantiæ foret necessariam, per quod fiat, ut qui illud acceperint, non nisi perseverantes sint.

In quibus etiam errasse Cassianum, aperte constat ex Collat. 13. c. 14. & 18. Molinam vero a Cassiano, & Semipelagianorum dogmate non dissensisse, apparet ex multis locis ipsius Concordiæ. Nam disp. 4. expresse docuit, primos Parentes in statu Innocentiæ ad vitanda peccata, perseverandumque in gratia, non eguisse auxi- lio aliquo particulari, superaddito habitibus justitiæ originalis gratiæ, & Theologicalium virtutum: quod est con- tra apertissimam sententiam Sancti Augustini lib. 14. De Civit. Dei c. 27. & Epist. 106. atque contra definitio- nem Concil. Arausic. II. Can. 19.

Similiter etiam censuit de dono perseverantiæ in statu naturæ corruptæ; quemadmodum enim sæpe docuit, auxi- lia gratiæ adjuvant, & efficacis non esse efficacis ex vi motionis suæ, & prout a Deo veniunt, sed illorum efficaciam pendere ex consensu Liberi Arbitrii, ab eoque provenire, ut auxilium, quod alias esset sufficiens tan- tum, fiat efficax; ita profus philosophatus est de dono perseverantiæ, quod scilicet pendeat a consensu Liberi Arbi- trii: quod est, perseverantiæ donum dari nobis, quia volumus, non autem per illud effecti etiam, ut velimus. Ita constat ex q. 23. art. 4. disp. 1. memb. ult. & Secundum, & ex memb. 9. §. Postremo. Unde deducitur, quan- do Molina dicit, requiri ad perseverandum speciale auxilium Dei, vel perseverantiæ in gratia esse Dei donum per auxilium speciale; per Dei donum nihil aliud aliud speciale auxilium Dei, vel perseverantiæ in gratia esse Dei donum & allicientis, quod appellat speciale Dei donum, quatenus distinguitur a concursu generali; atque ipsum donum habitualis gratiæ ratione novi influxus, quo in operationem pietatis influit, quia liberum arbitrium pro sua sola libertate voluit illo bene uti: & idcirco evincit, ut donum illud gratiæ per novum influxum habeatur, in doctrina Molinæ primam radicem, ex qua oritur, ut donum libertate voluit bene operari cum illo auxilio; putavit enim, omnino tolli arbitrii nostri libertatem, si tale donum perseverantiæ concedatur, per quod Deus efficaciter, & infuperabiliter effectus, ut homo infallibiliter perse- veret: quale intellexit Concil. Trid. Sess. 6. c. 13.

Quomobrem conclusum fuit, doctrinam Molinæ de dono perseverantiæ adversari sententiæ S. Augustini, & aliorum PP. qui contra Pelagianos, & Semipelagianos scripserunt, Summorum Pontificum, & SS. Concilio- rum definitionibus; & esse consonam Cassiani errori. Exceptis &c.

CAPUT XX.

Quid vigesima-tertia Congregatione disputatum? Quid Vigesima-quarta definitum?

Die 17. Februarii 1603. coram Clemente VIII. Congregatio 23. habita est. De deci- mo tertii Scripti articulo disputatum fuit: An videlicet Molina cum Cassiano conveniat in hac assertionem: Quod omnia a Molina dicta de conatu liberi arbitrii reducantur ad actus necessarios ad ju- stificationem? Petitur ex disp. 9. §. Quod hæc, disp. 12. §. Ex dictis, disp. 23. memb. 11. §. Illud, disp. 10. in principio.

Contendit Arrubal, nequaquam reduci; seu na- turales liberi arbitrii conatus, gratiam actualem anteverentes, non prærequiri ad initium justifi- cationis, juxta Molinæ principia. Id probandum sibi sumpsit, ea exponendo, & emolliendo CON- CORDIÆ loca, ex quibus hunc errorem Prædicato- res scripto suo deduxerant. Duo ex illis potissi- mum difficilia factus est, in quorum expositione desudavit. Primum exstat disp. 10. in principio: Quotiescumque Liberum Arbitrium, inquit Molina, ex suis viribus naturalibus conatur, præstare est ad conandum totum id, quod ex se potest, tam circa ea, que fides habet, adificanda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis, ac justificationem; a Deo confertur gratia preveniens, auxiliare, qui- bus id faciat, ut oportet ad salutem. Alterum disp. 14. memb. 5. Inter leges, quas tam Chri- stus, quam Pater æternus statuerunt, de auxiliis, & donis, que nobis Christus promeruit, mere gratis conferendis, una, eaque rationi maxime consentanea fuit, ut, quoties ex nostris viribus naturalibus con- amur facere, quod in nobis est, presto nobis essent auxilia Gratia, quibus ea, ut oportet ad salutem, efficeremus. Quæ duo intelligenda significavit de conatibus minime meritoris, nullaque ratione fini supernaturali accommodatis.

Dixit deinde Thomas de Lemos in oppositum. His, aliisque Arrubalis excusationibus Molinam nequaquam in tuto positum ostendit: seu quod principis ejus minus aequè accommodari possint; (quamquam eas ille ad bonorum effugiendam in- dignationem sæpius usurpasset) seu quod illas ipsas a Pelagianis quaesitas tricas Augustinus ex instituto confutasset. In multis ad ea se retulit, quæ in undecima Congregatione adversus Grego- rium de Valentia demonstraverat, ob argumenti affinitatem.

Ultimo loco ad pervulgati axiomatis expositionem ventum est, de gratia, facienti, quod in se est, conferenda. Molinæ finitras interpretationes, que potuerat arte, emollierat Petrus Arrubal, ne gratiam prævis naturæ conatibus tribuisse vi- deretur: cum ecce, posthabita quacunque ratio- ne, disputationis præcipitanter se obtulit Ferdin- andus de Bastida: Ad ea, inquit, que dicta fuerunt de facientibus, quod in se est, ex natura viribus, quod Deus illis det gratiam; hoc ipsum affirmo, quod Molina affirmavit, & quamvis gravissimi Doctores. Quocirca duo S. Thomæ testi- monia, ex Commentariis in Libros Sententiarum perita, laudavit, ut gratiam homini, solis naturæ viribus adnitenti, conferri, ostenderet. Respondit non semel Thomas de Lemos, frustra hæc denuo reficari; upote quæ a Gregorio de

Valentia in undecima Congregatione propofita ef- sent, & a se cumulatius expofita: Doctoremque Angelicum in Prima Secundæ fatis aperte signifi- caffe, hoc axioma intelligendum effe de faciente, quod in se est, ex viribus gratiæ. Ad hæc cla- mavit Bastida, Doctorem Angelicum doctrinam, in Sententiis traditam, in Prima Secundæ retra- ctasse. Cui perbelle Prædicatorum Generalis: Si S. Thomas illam sententiam mutavit; cur vultis sequi sententiam mutatam, aut ad quid illam addu- citis?

Eo audito, jussit Clemens VIII. agi de fe- quenti propositione, videlicet: An Molina con- sentiat cum Cassiano in hac assertionem: Quod ho- mini, conanti ex suis naturalibus, detur gratia; ita tamen ut conatus illi non sint meritorii, nec semper necessarii? Legitur disp. 10. in prin. disp. 9. §. Patet. disp. 14. memb. 5.

Propugnavit Arrubal, illos nulla propositionis parte convenire: non prima, quia Molina nati- vos illos liberi arbitrii conatus nullius esse valo- ris, ac meriti, sæpius attestatur; ejus opposi- tum Cassianus existimavit, ac docuit. Non altera, quia usque adeo censuit Cassianus; prævis naturæ conatus ad meritoriam vocationem neces- sario desiderari, ut eo fine duos vocatorum ordi- nes constituerit, quorum alii gratiam piis conati- bus anteverterent, alii gratia prævenirentur, at- que idcirco merito, & libertate carerent: Cum e contra Molina omnes Divina Gratia præveni- ri docuerit, neminemque ideo merito, & laude privari existimaverit, quod ejus motione præve- niatur. Postmodum Molinæ testimonia; unde con- sonantiam illam Prædicatores, dato scripto, osten- derant, paucis exposui.

Partem oppositam tenuit Thomas de Lemos. Valorem, ac meritum nativis conatibus a Cassi- ano negatum, ostendit; tamesi Ecclesiæ Patres erro- rem illum ex ejus principis insultent; quasi qui gratiam secundum merita nostra dari propu- gnasset, dum eam nativis conatibus anteverit de- fendit: addiditque, profus ex Molinæ doctrina consequens fore, upote quæ iisdem principis ini- nitatur.

Probavit subinde, duos illos vocatorum ordi- nes æquo jure a Molina, & Cassiano statutos ef- fe: non usque adeo tamen Cassianum stipitem existisse, ut excisam hominis libertatem, ac me- ritum existimaverit, dum Divina Gratia mere illuminante, suadente, alliciente prævenitur. Quapropter Cassiani, ac Molinæ errorem in eo po- situm dixit, & probavit, quod efficaci Gratia præ- veniri hominem pernegaverint, ne libertas, ac meritum tollerentur. Manicheos, Lutheranos, Calvinistas, Pelagianos, & Molinistas hoc uno principio simul errasse, ait: Gratia ex se efficax cum libertate stare non potest: illos quidem, ut, admiffa efficaci Gratia, libertatem perimerent: istos, ut, propugnata libertate, Gratiam effica- cem impugnant: cum e contra Prædicatores utramque perbelle tuerentur; libertatem, & gra- tiam.

Disputationi finem fecit Clemens VIII. propæ horam 20.

Judicium de propositionibus, antea agitatis.

(1) „ Die 18. Februarii 1603. hora 15. de „ decima, & undecima propositione dixerunt DD. „ Epi-

(1) Ex Actis Secretarii. In Compendio de Decima sit: Ex Cassiani Collat. 13. c. 7. & ex lib. Concordiæ Mo- linæ, disp. 7. 10. & 36. constat, tam Cassianum, quam Molinam in eum potissimum finem egisse de viribus Liberi Arbitrii ad actus bonos moraliter credendi, sperandi, diligendi, & penitendi, ut persuaderent, secundum com- munem ordinem Divinæ providentiæ, æternæque decretam, & legem, a Deo Patre cum Christo Filio suo con-

Episcopi, excepto D. Aquilano, Molinam, & Cassianum eodem proflus modo docuisse utramque propositionem. Similiter censuerunt Patres Theologi omnes, excepto Patre Regente Collegii Carmelitarum, Absolvitur Actio hora decima-nona.

CAPUT XXI

Quid vigesimaquinta Congregatione disputatum? Quid vigesima sexta definitum?

Die 14. Aprilis 1603. Congregatio 25. coram Clemente VIII. habita est. Loco Generalis Prædicatorum, qui Neapolim paulo ante contenderat, accessit Didacus Alvarez cum Thoma de Lemos. De duodecimo Scripti tertii Articulo questio fuit: An Molina cum Cassiano conveniat in hacce propositione, Quod propter bona opera naturalia deus gratia? Et, An utriusque eodem modo temperent propositionem illam. Colligitur ex CONCORDIA, quest. 23. disp. 1. memb. 11. §. Illud addendum. disp. 44. §. Quoad primum. disp. 10. §. Illud etiam.

Propositionem illam, censura dignam fassus est Arrubal; nusquam tamen a Molina propugnata: ideoque nihil Molinæ ea parte commune esse cum Cassiano, a quo disertissimis verbis asserta fuerat.

Hac de causa Molinæ loca duo laudavit, ubi gratiam prævenientem, propter bonum usum liberi arbitrii naturale minime conferri, docet. Mox ea exposuit, unde errorem illum Prædicatores, dato scripto, collegerant. Primum locum ubi gratiam uni præ altero conferri, ait, propter opera moraliter facta ab homine, in peccato mortali existente (eaque remotas ad gratiam dispositiones merito appellari, docet) intelligendum voluit de operibus, cum auxilio gratiæ actualis elicitis: cum præsertim se de iis duntaxat egisse, protestatus sit Molina in additionibus ad Editionem Antverpiensem. Alterum, ubi probat, motus gratiæ prævenientis sæpe admodum esse debiles propter modicam præparationem, & conatum nostrum, exposuit de conatu, & præparatione non pure naturali; Quia, inquit, Molinæ loquitur de conatu nostro, qui oritur ex altera gratiæ præveniente, & antecedente alteram; & respectu illius, quam antecedit, dicitur conatus, & præparatio, antecedens gratiam prævenientem; non tamen illam omnium primam; sed illam, que in decursa totius humanæ vite contingit.

Quod hujusce erroneæ propositionis limitationes attinet, Molinam a Cassiano perinde remotissimum propugnavit. Quia, cum Pelagius univertim constitisset, Gratiam singulis hominibus juxta univertitatem meritum dari; hoc axioma temperavit Cassianus, duplici Vocatorum ordine constituto, quorum alii ex meritis, alii ex Divina misericordia gratiam consequerentur: nec unquam

ditam, homini facienti, quod in se est, ex solis naturæ viribus, gratiam prævenientem infallibiliter dari, per quam justificationis donum comparare possit.

Hanc autem doctrinam idcirco Congregatio censuit esse damnandam, quod ex illa per evidentem consequentiam SS. PP. Augustinus, & Prosper sæpe deduxerint, Gratiam Christi secundum merita nostra dari, & initium justificationis esse ex nobis. Quod, ut fuit Pelagii cretus, & Summorum Pontificum definitionibus.

De hac de Undecima: Ex dictis deducitur, Molinam convenire cum Cassiano etiam in hac Conclusionem: Quæ admodum enim Molina negavit, conatus nostros, gratiam prævenientem antecedentes, ullius esse meriti, aut valoris; ita etiam a Cassiano, Collat. 13. c. 13. & 16. Verum cum S. Prosper nihilominus efficaciter deduxerit, Cassianum constituisse meritum in actibus Liberi Arbitrii, elicitis ante gratiam; id quoque ex doctrina Molinæ evidenter colligi eadem ratione, demonstratur.

Cum autem tam Molina, quam Cassianus constituerit duos ordines ventientium ad Christum; ita quidem, ut alii per proprium conatum ad gratiam perveniant; alii vero, a gratia Divina excitati, ad fidem, & penitentiam vocentur: conclusum fuit, utrumque putasse non semper esse necessarium, ut conatus nostri antecedant gratiam prævenientem; sed ut plurimum juxta communem cursum Divinæ providentiæ, & leges a Deo institutas, a Libero Arbitrio pendere, quod illam quis recipiat. Quod esse contra, expressam Concilii Arausicani definitionem, sæpius comprobatum est. Exceptis &c.

meritum de congruo operibus, gratiam omnem antevertentibus, denegavit. Quæ duo a Molinæ doctrina proflus aliena sunt.

Egit ex adverso Thomas de Lemos. Molinam, & Cassianum inter se congruere, defendit. Quocirca tria a Cassiano posita demonstravit. 1. Dari gratiam propter opera bona moralia, facta ex solis naturæ viribus. 2. Non dari gratiam propter hujusmodi opera, tanquam ex meritis, sed semper gratuitam perseverare. 3. Opera hæc naturalia esse tantum occasiones quasdam ad gratiam impetrandam: quæ totidem in Molina durioribus etiam verbis ostendit.

Primum, quod a Cassiano quidem assertum fatebatur Arrubal, a Molina tamen usquam propugnatum negabat, probavit Lemos, tum ex ipsius vulgari axiomate toties decantato: Facienti, quod in se est, ex viribus naturæ, Deus ex certa lege dat gratiam; tum ex quest. 23. disp. 2. memb. 9. §. Postremo, ubi de prædestinatione differens, ita concludit: Ergo quod voluntas illa Dei æterna, qua adultis ea media ex sua parte conferre statuit, quibus in Beatitudine personarum, rationem prædestinationis habuerit; tanquam a conditione, sine qua eam rationem non habuissent, ex eo fuit dependens, quod adulti ipsi eo modo pro sua innata libertate usuri erant suo arbitrio, ut ad eam pervenirent: idque Deus altitudine sui intellectus prævidet. Tum demum ex variis CONCORDIÆ locis, ubi ad opera moraliter bona, etiam difficillima, elicenda nullum gratiæ actualis auxilium exigit. Hinc enim consequens omnino voluit, Molinam opera mere naturalia, uti remotas Divinæ Gratia præparationes, agnovisse, dum opera moraliter bona dispositiones appellavit.

Secundum, ac tertium, quod e Cassiani sententia esse, negabant Molinæ Vindices, ne parem utriusque causam fateri cogenter, multis probavit argumentis, nullumque bonis operibus, primam gratiam antevertentibus, meritum, seu condignum, seu congruum, a Cassiano adscriptum ostendit.

Tandem Arrubalis interpretationes, quibus objecta sibi testimonia declinare, aut emolliere tentaverat, confutavit: Molinæ protestationem, Editioni Antverpiensi additam, quasi facti contrariam, atque ejus in iudicio repugnantem, exstulavit.

Adversus Lemosi dicta suas identidem instarunt tibus Societatis Oratores. At cum eadem continuo refricarent, dicit Pontifex: Quoniam vos eadem semper repetitis, neque, aliquid novi circa istam propositionem amplius adducitis, agite de sequenti propositione; satis enim de hac dictum est.

Ad propositionem itaque decimam-tertiam ventum est: An Cassianus, & Molina conveniant in ista assertionem, Quod possit homo Medicum querere, & sanitatem desiderare; Legitur in CONCORDIA, disp. 45. §. Ex dictis, & disp. 9. in principio.

Con-

Contendit Petrus Arrubal, Molinam hac in parte Cassiano non assentiri, utpote qui propositionem hanc nusquam propugnavit. Duo itaque probare tentavit. 1. Assertionem hanc ex duobus Molinæ locis, a FF. Prædicatoribus objectis, extendi non posse. 2. Molinam non idcirco damnandam, etiam si gratiam prævenientem natis conatibus desiderari posse, docuisset: cum id a Patribus, gravissimisque Theologis traditum sit.

Ad primum locum a Prædicatoribus objectum, ubi Molina docet, posse Liberum Arbitrium motus gratiæ prævenientis desiderare, & a Deo petere, respondit, id utique verum esse; nec tamen inde sequi, posse illum desiderare sanitatem, cum animæ sanitatem non conferat gratia præveniens, sed justificans. Subjuxit, certo non colligi, Molinam de desiderio pure naturali intelligendum, et si de desiderio gratiæ prævenientis loquatur; quia desideria, & præparationes ad gratiam prævenientem ex alia gratia præveniente proficisci possunt.

Ad alterum, ubi nullus esse meriti scribit, quidquid ex suis naturalibus adnaturatur homo, ut auxilium sibi donari petat, aut ad illud recipiendum se disponere fatagat; Respondit, cum loquendi modum, utpote mere conditionalem, quoad illam gratiæ petitionem, & dispositionem, nihil in re ponere; sed definire duntaxat, nihil hæc omnia meriti fore, si re ipsa contingerent.

Postremo loco varia strum, ac Theologorum testimonia laudavit; ut gratiam imperfecto saltem desiderio, naturæ viribus, appeti posse, demonstraret.

Hæc omnia jam a se satis in superioribus Congregationibus occupata, dixit Thomas de Lemos; nec quidquam addendum, existimavit. Verum, jubente Pontifice, nonnulla notavit, ad postremum adversæ partis conatum dissipandum. Observavit scilicet, Molinam a Patribus, ac Theologis, ab Arrubale laudatis, immaniter aberrasse: quia licet dona gratiæ, sub communi ratione boni, mera quodam velletat desiderari naturaliter posse, existimavit; nusquam tamen quatuor illa capita docuerunt, quibus totum Molinæ sen-

tentiæ virus exeat. 1. Posse hominem ex suis viribus desiderare auxilium gratiæ, ut supernaturale est. 2. Hujusmodi actum esse absolutum, & non velletatum tantum: 3. Posito hoc desiderio, gratiam prævenientem infallibiliter a Deo conferri: 4. Eiusmodi actum, naturæ viribus elicium, adveniente gratia, elevari posse ad ordinem supernaturalem, siquidem actum, ut oportet ad salutem, & commensuratum fini supernaturali.

Cum hæc satis ex tempore confutare non possent Molinæ Vindices, rogarunt, ut auctores, Molinæ consentientes, de scripto proferre sibi liceret. Hanc veniam illis fecit Sanctissimus Pater; illudque Scriptum in Congregationis commentariis a Secretariis referri voluit. Atque ita disputationi finem dedit.

Judicium de Propositionibus, mox disputatis.

(1) Die Martis, 15. mensis Aprilis, hora 13. anno Domini 1603. cum prius S. D. N. Sacrum fecisset; implorata Spiritus Sancti gratia, S. D. N. præcepit DD. Consultoribus, ut de 12. propositione primum, deinde de 13. agerent.

De 12. propositione. Æque expensis omnibus illis rationibus, quas Patres Societatis ex adverso produxerunt in defensionem Molinæ, illis non obstantibus, censuerunt omnes, exceptis D. Episcopo Aquilano, & P. Regente Collegii Carmelitarum, Molinam cum Cassiano consentire tam in prædicta assertionem, quam in illius temperamento; neque ullo modo excusari posse ab errore Pelagii ex iis, quæ in Appendice addidit, sed majorem inde illi inuri notam Pelagianismum.

De 13. propositione. Cum de sententia & Molinæ, & Cassiani contiteret; & que fuerit illorum temporum Catholica doctrina, a SS. Patribus contra Pelagianos constantissime tradita, & ab Ecclesia definita, apertissime apparet; censuerunt omnes, exceptis D. Episcopo Aquilano, & P. Regente Collegii Carmelitarum, post exactam discussionem rationum, quas Patres

(1) Ex Actis Secretarii. In Compendio de Duodecima: Ex collatione sententiæ Molinæ cum damnata doctrina Cassiani resolvit Congregatio, illos mutuo inter se convenire in duodecima Conclusionem. Etenim quod Cassianus docuit, Gratiam dari propter opera nostra moraliter bona, facta ex solis naturæ viribus, conatibus ex collatione Dei secundum merita nostra dari, in c. 13. & 16. ejusdem Collat. & lib. 2. Instit. c. 14. conatur afferre, suadere, se detestari istud Pelagianum dogma, & quantumlibet enixus fuerit, humanam fragilitatem suis operibus imminuere non posse Divinam Gratiam, quin semper gratuita perseveret; atque adeo in nostris operibus bis bonæ voluntatis oblata, ad Divinæ suæ Gratia dona conferenda. Hanc ita fuisse Cassiani, & Sempelagianorum sententiam, & hoc ejus temperamentum, apparet etiam apud S. Prosperum in lib. de Ingratis, maliter docuit, Facienti, quod in se est, ex solis naturæ suæ viribus, Deum ex certa lege infallibiliter gratiam Dei sumis; quia, si quantum in nobis est, conabimur, præsto nobis aderit Deus, ut fidem, & gratiam concedat. In hiis expresse aserit, propter elemosinas, & alia opera moraliter bona, facta ab existente in que ratione hujusmodi opera esse dispositiones remotas ad gratiam. Videndum etiam in disp. 42. §. Quod ad primum.

Neque obstat, quod in Appendice ad verbum illud (Nonum) addidit in Edit. Antverp. videlicet sententiam illam esse intelligendam, cooperante gratia. Nam & Sempelagianus, ut refert S. Prosper in Epistola ad Sempelagianum est: An Gratia præcedat bona opera nostra, an sequatur.

Quod vero Molina suam assertionem temperaverit, sicut & Cassianus, constat ex illis locis, in quibus professus est, quam veritas, non re, Pelagianum dogma respicere.

De decima-tertia: Resolvit Congregatio, hanc propositionem secundum proprium ejus sensum fuisse assertam non alter a Molina, quam a Cassiano, & ab utroque ex Pelagianis fonte hauritam. Ita enim censuisse Cassianum, & Sempelagianos omnes, constat ex cap. 9. Collat. 13. & ex Epist. S. Hilarii ad S. Augustinum. Revoluntas, que tantum Medicum querat, non autem quidquam ipsa jam valeat.

Eandem quoque fuisse Molinæ assertionem, demonstratur ex disp. 9. in qua dixit, posse hominem ex solis naturæ viribus desiderare, & petere Gratia Divinæ adiutorium; quod postea repetit in disp. 42. §. Accipe. Sed non esse Pelagianam, confirmatur ex sententia S. Augustini, contra Pelagianos tradita in lib. De correct. & grat. c. 1. & ex Divinis Scripturis asserta a S. Prospero in respons. 6. ad Capitula Gallorum, & lib. contra Collat. c. 8. & ex Concil. Arausico. II. Can. 4. & 9.

tres Societatis pro Molinae defensione produxerunt, illis non obstantibus, Molinam cum Cassiano consentire in prædicta propositione 13. & eam sententiam formaliter docuisse, quæ Sanctis Patribus, & Ecclesiæ definitioni omnino adverterat. Quibus peractis, dimissa est Sessio hora 18.

CAPUT XXII.

Quid vigesima-septima Congregatione disputatum?
Quid vigesima-octava definitum?

Die 5. Maii 1603. coram Clemente VIII. habita est Congregatio 27. Ultimus Scripti tertii Articuli agitur fuit: *An Molina, non solum ac Cassianus, nobis confiteri, prædestinationem gratiam aliquorum esse, non omnium?* seu, An ambo pariter existimaverint, æqualem respectu omnium esse prædestinationem ex parte Dei, nec aliquorum tantum esse gratiam? Ita Molina quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. ult. §. *Credens autem.* & mem. 6. §. *Arbitramur.* & disp. 1. memb. 11. §. *Octava Conclusio.* quæst. 14. art. 6. disp. 1. §. *Ex his constat.*

Contendit Petrus Arrubal, Cassiani errorem circa prædestinationem non esse illum, qui in proposita questione significatur, sed alium longe diversum: nempe inter electos quorundam quidem prædestinationem fuisse mere gratiam, illorum scilicet, quibus gratia data fuit abque initio bonæ voluntatis antecedentis; aliorum vero non item, quibus scilicet gratia data fuit propter bonæ voluntatis initium. Mox prolixiori oratione probavit, Molinam gratiam prædestinationem nusquam negasse. Gratuitam vero prædestinationis nomine eam intelligit, cujus primus effectus, seu vocatio prima non est propter bonum usum liberi arbitrii prævisum, etiam ut conditionem sine qua non; sed pro sola libera voluntate Dei. Nihil a Molina de prædestinatione scriptum dixit, quod Augustiniane, ac Thomisticae doctrinæ adverteretur; tamen non æque certum est, an eorum Doctorum mentem de reprobatione attigisset.

Progreffus deinde ad ea exponenda CONCORDIÆ loca, quæ FF. Prædicatores in erroris accusationem adduxerant, tam implexis, tanque extortis expositionibus Molinae sensum cohonestavit, ut illum pene Thomistam dixissent universi, nisi eas, fallaci verborum furo compositas, ostendisset Thomas de Lemos. Præcipuus locus obiectus, in quo Molinae Vindex, est ex eadem Disputatione prima, memb. 11. §. *Octava Conclusio*, "ubi Molina ait, sicut a cooperatione Liberi Arbitrii, futura ex hypothesi, tanquam a conditione, pendet ea præscientia, qua Deus cognoscit talem cooperationem, ut futuram; simili etiam modo ab ea dependere, quod reliquum, quod prædestinatio includit, habeat rationem prædestinationis. Ex hoc tamen loco inferri non potest, Molinam negare prædestinationem gratiam, tamen fateatur, a præcognita cooperatione Liberi Arbitrii dependere, quod ordinatio eorum particularium mediatorum, quæ Deus eligit, habeant rationem prædestinationis; atque in hoc sensu prædestinationem esse secundum scientiam cooperationis Liberi Arbitrii."

Ad explicandam ergo Molinae sententiam notandum est, duas esse in re præsentis propositiones, de quibus diversissimum debet esse iudicium. Prior est, "Prædestinatio est secundum præscientiam, aut dependet a præscientia boni usus Liberi Arbitrii ex virtutibus nature;" quæ propo-

sitio nullum bonum sensum haberet; neque a Molina asseritur, ut aperte colligitur ex voce *cooperandi*, quæ sæpe utitur in eadem octava Conclusionem, & aliis locis: ait enim, rationem, seu conditionem, sine qua in Deo non fuisset prædicta præscientia, esse, quod adulus pro sua libertate esset cooperaturus: verbum autem cooperandi aperte indicat gratiam, cui voluntas cooperetur. Posterior propositio est: "Prædestinatio est secundum præscientiam, aut dependet a præscientia boni usus Liberi Arbitrii, ex influxu, & operatione gratiæ." Quæ rursus propositio habere potest duos sensus. Prior est, Prædestinationem dependere a præscientia boni usus liberi arbitrii, futuri absolute, aut tanquam rationis, vel conditionis, ob quam homo prædestinetur. De quo etiam sensu non est necesse aliquid dicere; nam Molina in citata Conclusionem, non loquitur de præscientia consensus, absolute futuri, sed futuri ex hypothesi, ut patet ex 7. Conclusionem, quam Molina in octava Conclusionem refert. Nec etiam loquitur Molina de præscientia consensus, futuri ex hypothesi, tanquam rationis, vel conditionis meritæ, propter quam homines prædestinentur; ut patet ex iis, quæ supra retulimus, quibus Molina expresse ait, nullam esse rationem, aut conditionem, propter quam homo prædestinetur. Posterior vero sensus est, Prædestinationem esse secundum præscientiam boni usus liberi arbitrii, futuri ex hypothesi, tanquam effectus, sine cuius cognitione preparatio eorumdem mediatorum, hoc est earumdem entitatum auxiliatorum Gratia, non esset prædestinatio. Hic vero est Molinae sensus, qui, ut nobis quidem videtur, non minuit rationem gratiæ prædestinationis.

Post expositam, ac probatam doctrinam hujus orthodoxiam, venit ad alia objecta CONCORDIÆ loca; ubi Oraculum Apostoli: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, de generali quadam, & indifferente voluntate exponitur. Responditque, nihil illa obesse; cum & ea expositio Augustiniana sit, ac Thomistica; aliamque pariter in Deo voluntatem efficacem, peculiarem, & omnino gratuitam erga solos prædestinatos, Molina passim admiserit.

In arenam postmodum descendit Thomas de Lemos. Quatuor Semipelagiani erroris capita distinguit, ex Prosperi, & Hilarii ad Augustinum Epistolis petita. Primum erat, Prædestinationem electorum non fieri secundum æternam Dei propositum absolutum, ante omnem præscientiam boni usus liberi arbitrii humani. Secundum, Prædestinationem esse secundum præscientiam boni usus liberi arbitrii futuri. Tertium, Prædestinationem non esse gratiam respectu aliquorum, sed ex parte Dei esse communem, & æqualem respectu omnium. Quartum denique, Prædestinationem fieri propter præscientiam boni usus liberi arbitrii futuri, non quomodocumque, sed sub ipso gratiæ adjutorio; ita quidem, ut præscientia boni usus, sub gratiæ adjutorio futuri, sit prædestinatio, cuius certitudo sit ex sola præscientia.

Quatuor hæc, in Molina CONCORDIA pariter statuta, digito monstravit: quibus prolixè enarratis, Arrubalis actionem confutare cepit: atque illum in primis partem, qua gratiam prædestinationem a Molina propugnatum affirmaverat, ab æquivocatione liberavit: "Quando, inquit, in locis, productis a Patribus, dicit Molina, Prædestinationem Dei esse mere gratuitam, & in solam Divinam voluntatem esse referendam, loquitur de prædestinatione, quatenus est communis providentia. At vero in locis, a me productis, in quibus dicit, prædestinari homines, qui

qui prævidentur bene usuri suo arbitrio, & cooperaturi Gratia Divina, loquitur de prædestinatione, ut distinguitur a communi providentia. Et sic, sublata ista æquivocatione, facile conciliantur diversi illi duo modi loquendi Molinae; nam ipse componit simul statum Divinae providentia cum prædestinatione, & dicit: "Quod Deus statuat hominem in tali ordine rerum, in quo prævidit, ipsum bene usurum auxiliis, quæ in illo rerum ordine statuit dare, nullam habet causam: at vero quod homo, gratis positus in tali rerum ordine, sit prædestinatus, vel præscitus, hujus quidem secundum Molinam datur causa ex parte prædestinati, nempe bonus usus Liberi Arbitrii prævisus."

Secundum illa, Scientiam-Mediam, unde tota juxta Molinam Divinae prædestinationis certitudo pendet, acriter impetit, uti Scripturis, Conciliis, & Patribus repugnantem: adducta in ejus gratiam argumenta & Massilienfium officina prodiisse; nec modo Pelagianæ, sed & Calvinianæ hæresi statuendæ opportuna demonstravit: eumque in finem Lovaniensis Censuræ suffragium, præmissa venerabilium Patrum commendatione, egregie exultit.

Disputationem suam resumpsit Arrubal. Præmisit, Molinam mentem sibi magis, quam cuius mortalium perfectam esse; quod ejus sensus, & arcana, illo ipso interprete, didicisset. Scientiam-Mediam, hoc veluti ineluctabili argumento, ter, & amplius, ad nauseam usque probavit: *Præscitit Deus, quod, si daret Petro Divinae Gratiae auxilia efficaciam, Petrus converteretur. Ergo ante decretum Divinae voluntatis ponenda est in Deo præscientia, per quam certo cognoscatur hoc futurum conditionatum.*

Eandem crambem toties recoqui, male habuit Thomas de Lemos. Reverende Pater, inquit, ego jam bis respondi ad hoc argumentum; quod cum jam fuerit optime solutum, debuisse Reverentia sua ulterius procedere. Interim tamen dico rursus, aliam esse præscientiam, qua Deus cognoscit efficaciam suæ voluntatis ad convertendos voluntates hominum: hæc præscientiam admittimus, & confitemur esse in Deo; (Scientiam scilicet necessariam) aliam vero, per quam Deus cognoscit efficaciam voluntatis humanæ ante decretum suæ voluntatis, quam vos ponitis, (nempe Mediam) omnino negamus, quia derogat efficaciam voluntatis Divinae.

Non id tamen obviat, quin idem denuo refricaret Arrubal. At cum inde paululum digressus, Molinæ locum (in quo Augustinum, sub quadam caligine positum, fidelium mentes perturbasse, ait) excusare vellet; audacioris Apologistæ dicacitatem retudit Clemens VIII. "Non video, inquit, quomodo possitis excusare Molinam hæc in parte, aut quomodo illius impudentissima verba cohonestari valeant. "Quo Pontificis dicto in animum erectus Thomas de Lemos, minervam acuit, asperiorique declamatione Molinæ in Augustinum audaciam, ac pertulantiam exagavit. Pudor fuit Societatis Defensoribus, vulnus hoc secunda manu tractare: idecirco, parte illa dimissa, studium suum alio converterunt. Molinam in Scientia-Media defensione, non nova, sed nova, ve dixisse, contendit Arrubal; quia hujuscemodi cognitionem in mysterio Prædestinationis agnovit Augustinus, suoque calculo confirmaverat Doctor Anglicus. Quod ut audivit Doctissimus Pontifex, finitros illos Augustiniane doctrinæ sensus confutare cepit, in hunc modum. "S. Augustinus agnoscit quidem scientiam in Deo in prædestinandis hominibus, sed per quam cognoscit facta sua; cognoscit enim Deus, quid Serry Tom. I.

ipse sit facturus, antequam prædestinet. At vero Molina vult, talem constitui in Deo præscientiam ante decretum Divinae voluntatis prædestinantis, ut per illam cognoscatur certo, quid homo sit facturus; & hunc bonum usum Liberi Arbitrii prævisum vult esse causam sam Prædestinationis: Et sic prædestinatio secundum Molinam est opus justitiæ, non gratiæ. Respondit Arrubal: *Beatissime Pater, per scientiam, quam ponit Molina, cognoscit Deus, quid ipse sit facturus, ut homo faciat: nam hæc scientia proponit mediā, per quæ homo recte operabitur, si in tali, vel tali ordine rerum collocabitur. Neque Molina inquam loquitur, quando agit de prædestinatione, de bono usu liberi arbitrii naturali, sed ex gratia. Insticit Sanctitas Sua. "None repetit milies Molina, quod per istam Scientiam-Mediam cognoscit Deus, quid liberum hominis arbitrium sit facturum, si in tali, vel tali ordine rerum collocetur? Ergo prius Deus cognoscit facta nostra, quam cognoscat facta sua. Et ex consequenti bonus usus Liberi Arbitrii prævisus, est causa prædestinationis, in Doctrina Molinæ contra expressam sententiam Augustini.*

Pontificis argumento vim addidit Thomas de Lemos: pompatica illa Molinae verba de usu Liberi Arbitrii ex gratia, unde Arrubal Scientia-Media systema cohonestare nitetur, uti frivola, æquivoca, atque illudentia demonstravit; Semipelagianos iisdem illis ad fucum faciendum abufos ostendit, dicente Prospero in sua ad S. Augustinum Epistola: *Pone omnium (Massilienfium) par invenitur, & una sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei, secundum præscientiam repperunt: ut ob hoc Deus alios Vasa bonoris, alios contumelia fecerit, quia finem uniuscujusque prævidet, & sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus est voluntate, & actione, præscitit.* Addidit luculentissima Molina testimonia, quibus Liberi Arbitrium, sub gratia versatili, suadente, & invitante constitutum, non ex ipsius gratiæ energia, sed innata sibi libertate assentiri, atque operari, profiteretur. Inter illa luculentissimum, ac præsentis instituto accommodatissimum fuit, quod ex questione 14. art. 13. disp. 50. §. *Scientificabitur, petebatur. Quod res, inquit Molina, libero arbitrio prædita, si in certo ordine verum, & circumstantiarum collocetur, in unam, aut alteram partem se flectat, non provenit ex præscientia Dei; quin potius ideo Deum id præscire, quia ipsa res, libero arbitrio prædita, libere id ipsum agere debet. Neque provenit ex eo, quod Deus velit, id ab ea fieri, sed ex eo, quod ipsa libere id velit facere. Inde vero aperitissime sequitur, scientiam, qua Deus antequam statuat eam creare, prævidet, quid sit factura, ex hypothesi quod in eo ordine rerum collocetur, pendere ex eo, quod ipsa, pro sua libertate, hoc, vel illud sit factura; & non e contrario.*

Respondit Arrubal, Molinam his in locis non negare, quin gratia efficiat hujusmodi actus, ut concausa, simul cum libero arbitrio; sed solum velle, illum actum liberum, in ratione liberi, esse a libero arbitrio, præcisè considerato: cum præsertim sæpius docuerit, Gratiam Christi adjuvare liberum arbitrium, & ab illa habere, quod operari possit. Dicentem interpellavit Clemens VIII. "Dicas mihi: None etiam Pelagus concessit, gratiam adjuvare possibilitatem nostram; & propter hoc fuit damnatus, quoniam, si gratia adjuvaret possibilitatem nostram, satis aperte judicaretur, habere hominem ex bono suæ naturæ possibilitatem ad operandum ejusmodi actus, necessarios ad justificationem: per gratiam vero adjuvari, ut facilius,

lius, & promptius illos eliciat, ut dicebat Pelagius, & docet Molina? Reposuit Arrubal. *Beatissime Pater, certum est secundum fidem, ex gratia esse, quod homo possit ejusmodi actus elicere: & ideo Molina nullo modo convenit cum Pelagio. Nam Pelagius ponebat hanc possibilitatem in natura tantummodo, & excluderat omnem gratiam supernaturalem: Molina vero hanc possibilitatem ponit ex gratia. Infruit denuo Sanctitas Sua: Molina agnoscit gratiam sufficientem, excitantem, & invitantem, & Pelagius etiam confitebatur gratiam illuminantem, per quam operaretur Deus in nobis velle, quod bonum est, & futuræ gloriæ magnitudine, & præriorum pollicitatione nos succenderet, & in desiderium Dei torpentem suscitaret voluntatem nostram. Replicavit iterum Arrubal: Beatissime Pater, ex Apostolicis Scriptis constat, Pelagium non agnovisse aliam gratiam, quam legem, & doctrinam. Et Molina multis in locis sua Concordie, alias a me relatis, concedit gratiam efficacem, & quod Deus facit hominem operari: neque Patres Predicatores negabunt, hoc esse expressum in Molina.*

Hoc ultimum retulit Thomas de Lemos: Concedit, inquit, Molina Gratiam efficacem, sed asserit, ejus efficaciam provenire ab effectu Liberi Arbitrii futuro; & dicit, Deum facere hominem operari, non per influxum gratiæ in voluntatem, sed per invitationem, & suggestionem quandam; ita ut Deus non moveat voluntatem vero, & reali motu interiori; sed tantum illam invitet, & alliciat; ipse vero exinata sua libertate consentiat, & operetur: atque adeo non cognoscit gratiam efficacem nisi ab effectu, & cum dependentia ab humana, & innata libertate.

Nihil ad hoc Petrus Arrubal. Attacente illo, extra choram saltavit Ferdinandus de Baftida. Lemosio litem intentans tum ob laudatam paulo ante Censuræ Lovaniensis auctoritatem; tum maxime ob nonnullas Epistolas, a Prædicatoribus (ut ajebat) in Lusitaniam scriptas, quibus causam istam ab Apostolica Sede definitam, Censuramque

(1) Ex Actis Secretarij. In Compendio sic: Resolvit Congregatio, Molinam in hac Conclusionem convenire cum Cassiano, & Sempelagianis, & adversari patentissimæ doctrinæ S. Augustini de gratuita Dei prædestinatione, quam tradit in omnibus penes libros, & Epistolis, editis contra Pelagianos, & eorum reliquias. Nam Sempelagiani, cum intelligere nequirent, quomodo cum æterno Dei proposito absolute dandi Electis suis gloriam consistat Liberi Arbitrii libertas ad bonum, & ad malum, asseruerunt, prædestinationem Elektorum esse secundum præscientiam boni usus Liberi Arbitrii futuri; scilicet vero, & lapsis curam referendi adimi, & Sanctis occasionem teporis asserri; removeri item omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub prædestinationis nomine fatalem quandam hominibus induci necessitatem. Hinc inferrebat, totam certitudinem Divinæ Gratiæ prædestinationis constitutum esse non in decreto Divino, sed in præsentia boni futuri usus Liberi Arbitrii; atque adeo Deum non peculiariter aliquos tantum, sed universales, & indifferenter omnes prædestinasse: neque aliter Apostoli sententiam, 1. ad Timotheum 2. *Qui vult, omnes homines salvos fieri*, intelligi debere. Ita constat ex Epist. S. Prosperi ad S. Augustinum, & Cassiani Collat. 13. c. 7.

In eundem errorem lapsam fuisse Molinam, constat ex multis locis ejus Concordiæ. Etiam in Edit. Antwerp. quæst. 23. art. 4. disp. 1. memb. 12. §. *Illud addimus*, expresse asserit, se non posse intelligere, quomodo evadi possit fatalis necessitas, & humanæ libertatis eversio, si prædestinatio ad solam Libertatem voluntatem Dei æternam, non autem ad præscientiam futuri usus Liberi Arbitrii futuri humana libertate referatur. Et memb. 11. §. *Secundo Conclusio*, §. *Ex his*, §. *Tertia Conclusio*, & sæpe alias, asserit, prædestinationem Dei æternam esse secundum præscientiam boni usus futuri Liberi Arbitrii. Quamobrem in eod. memb. §. *Non vero*, asserit, totam certitudinem prædestinationis Divinæ, non in decreto Dei æterno, neque etiam in ratione ipsa providendi positam esse, sed in præsentia, quæ id prævidebat, ratione ejus tale decretum, ac providentia sortita sunt rationem prædestinationis. Et in §. *Secundum est*, inquit, præscientiam illam esse Scientiam-Mediæ, quæ antecedit libere actum Divinæ voluntatis. Ex his autem in memb. 13. §. *Verum*, colligit, secundum propriam sententiam suam non ita a Deo prædestinationem esse factam, quasi ex his, quos creare voluit, nulla habita ratione arbitrii ejusque, constituerit, hos solum in particulari prædestinare, & producereque in vitam æternam; relique vero minime. Hanc eandem sententiam indignissimis verbis amplificat memb. 6. §. *Ex his patet*, secundum Edit. Antv. In Edit. vero Ulyssiponen. §. *Hic ita constituitis*, & §. seq. it. in memb. 13. *Verum*. Videndus etiam in quæst. 19. art. 6. disp. 1. §. *Ex his*, it. quæst. 23. art. 6. disp. 6. *Quod ad Augustinum*, & memb. ult. §. *Credem*.

Quibus omnibus, alii que non minoris ponderis expensis, censuerunt omnes, exceptis D. Episcopo Aquilano, & P. Regente Collegii Carmelitarum, Molinam ita a S. Augustino in explicando mysterio prædestinationis Divinæ distulisse, ut cum Cassiano, & Sempelagianis negaverit, ita a Deo prædestinationem esse factam, ut ex his, quos creare decreverat, nulla ratione habita boni liberi arbitrii ejusque, constituerit, certos quosdam homines solum in particulari ex æternitate eligere, & prædestinare, perducereque in vitam æternam, reliquis in massæ conditionis relicta; cum tamen ignorare non poterit, doctrinam S. Augustini de gratuita prædestinatione Divina ita fuisse a Summis Pontificibus Cælestino, Leone, Gelasio, & Hormida approbatam, ut jam fides Ecclesiæ dici debeat.

Lovaniensem confirmatam essetiebant. Hunc falsi postulavit Thomas de Lemos: at illo importunius urgente, posse se Episcopum Conimbricensis Epistolam exhibere, quæ hujusce sparsis rumoribus fidem faceret; silentium indixit Pontifex. *Hæc*, inquit, *jam non pertinent ad questionem Theologicam*. Eoque pacto dimissa est Congregatio.

Judicium de Propositione decima-quarta, & ultima.

(1) Die 6. Maii 1603. hora 12. de Propositione decima-quarta censuerunt omnes DD. Episcopi, excepto D. Aquilano, convenire Molinam cum Cassiano. Similiter & Patres Theologi, excepto Regente Collegii Carmelitarum, qui dixit, esse probabilem opinionem Molinæ. Et absolvitur Actio hora decima sexta.

CAPUT XXIII.

Quid vigesima-nona Congregatione disputatum? Quid trigesima definitum?

Die 9. Junii 1603. præfente Clemente VIII. habita est Congregatio vigesima-nona. Cœpit tunc primo disputari de quarto Clementis VIII. Scripto, ad utramque die 18. Novembris 1602. transmissio. Quæsitum vero speciatim: An Concilium Tridentinum Sessio 14. cap. 14. & can. 5. obset iis, quæ de attritione, & contritione docet Molina? Ratio difficultatis erat, quia Concilium contritionem imperfectam, seu attritionem, ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu conceptam, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, decernit esse donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti, Molina vero eam viribus Liberi Arbitrii adscribit. Disp. 14. memb. 1. in princ. Disp. 19. memb. ult. §. *Foris mirabitur*, Disp. 13. & 14. memb. 5. §. *Ut vero*.

Arrubalis positio fuit, nullo pacto obtinere. Quia, inquit, Concilium agit de dolore, concepto

pro ex motivo fidei, & pietatis supernaturalis, secundum regulas Divinas, & ut oportet ad salutem; eamque ideoque Dei donum, & Spiritus Sancti impulsus appellat. Molina e contra loquitur de dolore, orto ex motivo inferiori, secundum regulas humanæ rationis, & ad finem supernaturalæ nullatenus ordinato; illamque propterea naturæ viribus parem decernit. Sed neque mirandum ait, contritionem una cum spe veniæ, adjunctoque amplius non peccandi proposito, naturalem appellari; cum & eo modo naturæ viribus dolere hominem posse, permulti Theologi propugnarint.

Partem oppositam tenuit Thomas de Lemos. Molinæ sententiam hinc capibus flare offendit: nimirum hominem, præexistente maxime lumine fidei, posse naturæ viribus contritionem elicere de peccato. 1. Ut est contra Deum, & authorem naturæ, & contra beneficia naturæ. 2. Ut est contra Deum authorem gratiæ, & contra beneficia gratiæ, & redemptionis. 3. Ut peccatum est amissivum vitæ æternæ. 4. Ut peccatum inducit dolorem, & pœnas inferni. 5. Cum proposito absoluto amplius non peccandi. 6. Cum spe veniæ a Deo obtinendæ. 7. Non modo intuitu exteriorum malorum, sed & intuitu Divinæ bonitatis, ejusque beneficiorum. Quibus omnibus positus, probavit, idem plane Molinam naturæ viribus dedisse, quod speciali Spiritus Sancti impulsu tribuit Concilium Tridentinum.

Secundum hæc, Arrubalis diverticula occupavit. Spem veniæ obtinendæ, absolutumque non peccandi propositum germanos esse veri, ac supernaturalis doloris characteres ostendit; supposito præfente habitu fidei, eximia gratiæ, ac redemptionis beneficia proponentis. Quare Molinæ systema aperta repugnantiæ laborare, ait; quippe qui dolore, iis dotibus insignitum, naturæ viribus adscribat; quasi non ille ipse sit, quem Concilium Tridentinum exposuit, & Spiritus Sancti virtuti tribuendum, definitum.

Id confutandum aggressus est Arrubal, contradicente Summo Pontifice, ac palam affirmante: *Eadem est attritio, & contritio, quæ describitur a Molina, & quæ ponitur a Concilio*: nam tam Molina, quam Concilium eodem modo, & cum iisdem conditionibus loquuntur de attritione, & contritione. Cumque nihilominus urgeret ille, ut Concilium de dolore ex motivo fidei intelligendum; Molinam autem de dolore, duntaxat quoad substantiam actus pœnitentis, locutum innueret; reposuit Lemos: *Loquitur quidem Molina hoc modo, sed Serry Tom. I.*

(1) Ex Actis Secretarij. In Compendio sic. Constat secundum expressam Sacri Concilii doctrinam loco citato, imperfectam contritionem, quæ attritio dicitur, quoniam ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, (quod Lutherus dicebat) verum etiam Dei donum esse, & Spiritus Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo penitens adjutus vitam sibi ad salutem parat. Unde Can. 5. definit, Contritionem, quæ paratur per dissolutionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quæ quæ recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, leviditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vite, esse veram, & utilem dolorem, & preparare hominem ad gratiam. Expensa autem Molinæ doctrina de attritione, & contritione, tradita in disp. 13. 14. memb. 1. §. *Ratio*, & memb. 4. §. *Hic ita constituitis*, & memb. 5. §. *Ut vero*, apparet, fuisse expressam illius sententiam, quod possit homo, præexistente maxime lumine fidei, ante oculos mentis proponere innumera, & maxima beneficia tum naturæ, tum gratiæ, quæ Deus in non contulit, usque ad proprii Sanguinis in Cruce effusionem; justis sempiternam felicitatem, impis vero ignem sempiternum, extrorsumque miseriam esse propositam; & lethale peccatum tam extremum esse malum, adeoque Divinam Majestatem offendere; ut vel unum sit satis, ut qui illud commiserit, nisi de eo doleat, statuatque, nihil tale deinceps committere, supremam amittat felicitatem, in extremamque incidat miseriam: atque adeo eum, qui proprio acumine, aut alterius suggestionem, & hortatu hæc atente consideraverit, sibi que perpenderit, excludendum se esse a sempiterna beatitudine, innumerisque illis malis circumvenitur undique, sempiterno igne esse cruciandum, nisi de peccato doleat; statuatque non peccare amplius lethaler, posse cum solo concursu generalis Dei elicere, intuitu quidem extremorum malorum, in quæ alias incidet, dolorem, sed detestationem suorum scelerum, cum proposito absoluto cavendi in posterum omnia peccata lethalia, cum spe veniæ; in quo consistit attritio: intuitu vero bonitatis, & beneficiorum Dei, similem detestationem, ac propositum: in quibus posita est ratio contritionis.

Quibus ad invicem relatis, censuerunt omnes, exceptis D. Episcopo Aquilano, & P. Regente Collegii Carmelitarum, Molinæ doctrinam de attritione, & contritione ex diametro adversari doctrinam, & decreto Sacri Concil. Trident. locis citatis.

in hoc est error ejus, quod cum ponat attritionem, & contritionem cum omnibus illis rationibus formalibus, assensit deinde, hanc attritionem, etiam cum his conditionibus, esse attritionem quoad substantiam actus tantum; ut eam naturæ viribus adscribat.

Et accepto responso, contuitur Arrubal. Tuncque disputationi importune se inferens Ferdinandus de Baftida, desperatam causam, Theologorum Scholasticorum, ac præsertim Cordubæ suffragio juvit, quasi qui homines in lege naturæ contritione duntaxat naturali salvatos fuisse, docuerit. Insulsum adeo signentum durius fugillavit Thomas de Lemos: *Salvabantur quidem, inquit, sed ex adjutorio gratiæ: clamat enim Apostolus, eos quidem in lege salvatos fuisse, sed non ex virtutibus naturæ: hoc enim hereticum est*. Atque ita soluta Congregatio est.

Judicium de superiori disputatione.

(1) Die 10. Junii 1603. hora 12. De Scripto circa decretum Concilii Tridentini, & doctrinam Molinæ de contritione, censuerunt omnes, adversari decreto Sacri Concilii doctrinam Molinæ de contritione, & attritione, naturalibus viribus contracta; excepto D. Episcopo Aquilano, & R. P. Regente Collegii Carmelitarum. Absolvitur prope horam 16.

CAPUT XXIV.

Quid trigesima-prima Congregatione disputatum? Quid trigesima-secunda definitum?

Die 23. Junii 1603. coram Clemente VIII. habita est Congregatio trigesima-prima. Recluso de quinto dubio, ad solitas Societatis Resolutiones discutendas propositum: nimirum: An bona opera nostra moralia, nedum bona ex genere, & obiecto, ac ex officio, & nedum remota omni mala circumstantia, sed et contra vestita omnibus bonis circumstantiis, non dicantur bona, nec secundum Deum authorem naturæ, & gratiæ, nec ad pietatem pertinere; nisi sint facta ex motivo fidei, & pietatis supernaturalis; quamvis facta sint, supposita fide, & intuitu, & consideratione justitiæ Dei sceleris punientis, & beneficiorum Dei miserentis, & tam copiose præmiantis, & præsertim consideratione beneficij effusionis proprii Sanguinis in Cruce pro nobis?

Defendit Petrus Arrubal, opera moralia bona ex genere, & obiecto, & omnibus circumstantiis, Dd 2 ra-

rationali naturali congruentibus, non esse simpliciter bona secundum Deum auctorem gratiæ, neque ad pietatem Christianam pertinere, nisi aliquæ ratione fiant ex motivo fidei, & pietatis supernaturalis; quamvis fiant, supposita fide, & intuitu eorum, quæ in proposito dubio recensentur; modo non fiant ex consideratione illorum sub ratione formali, sub qua conformia sunt regulæ fidei, & ad pietatem supernaturalem spectant. Id porro non alio fine defendit, quam ne fateri cogeretur, Molinam Christianæ pietatis opera, simpliciter bona, naturæ viribus tribuere, dum actus morales, in proposito questione designatos, nativis conatibus pares existimat. Idcirco enim istiusmodi morales actus, tot licet religiosis ornatis titulis, ad Christianam pietatem non attinerent, voluit.

Primum assertionis suæ partem probavit Molinæ Defensor ex duplici principio, apud Patres, & Theologos, ut ajebat, receptissimo. Primum erat, duo dari genera operum bonorum ex objecto, & circumstantiis; alterum quidem eorum, quæ pertinent ad salutem æternam; alterum vero aliorum, quæ, quamvis ex objecto, omnibus circumstantiis rationi congruentibus sint bona, pertinent tamen solum ad finem naturalem, non ad æternam salutem. Secundum erat, eadem esse opera, quæ dicuntur pertinere ad pietatem, & quæ dicuntur pertinere ad salutem; illa vero ex motivo fidei, & pietatis supernaturalis necessario oriri, juxta inconcussam Ecclesiæ Catholicæ Traditionem.

Alteram assertionis partem, uti prioris appendicem, suppositit: quia si pietatis opus procedere debet ex motivo fidei, & pietatis supernaturalis; manifeste sequitur, opus ad pietatem non pertinere, quamvis fiat ex materiali consideratione remunerationis Dei, & beneficii mortis Christi, nisi fiat intuitu illius formalis rationis, sub qua prædicta pertinent ad pietatem supernaturalem.

In oppositam viam abiit Thomas de Lemos, non ut fidei necessitatem ad edenda pietatis opera diffiteretur, sed ut Molinæ systema repugnantia, & contradictoria argueret; dum videlicet opera bona, & ex ipsa sui ratione vere pia, absque tamen pietatis principio, nempe fide, elici posse, commentus est. Duo itaque probanda sibi sumit.

1. Bona opera nostra moralia, bona, inquam, ex genere, objecto, officio, fine, debitisque omnibus circumstantiis, usque adeo esse vere pia, & secundum Deum a nobis elici, ut plane repugnet, ex motivo fidei, pietatisque supernaturalis radice non furgere, uti Molina commentus erat. 2. Hujusmodi opera, sic undecunque moraliter bona, si fiant, supposita fide, atque ex consideratione bonitatis Divinæ, nec non intuitu beneficii effusionis proprii Sanguinis in Cruce pro nobis, esse piissima, & maxime ad pietatem pertinere; hominemque ipsum ordinare ad Deum auctorem naturæ, & gratiæ.

Primum propositionem triplici ex capite doctrinæ Augustinianæ demonstravit. 1. Quia opera bona moralia non solum ex objecto, sed etiam ex fine, non possunt fieri, nisi ex vera virtute morali. 2. Quia, licet absque fide Christi bonæ quedam dispositiones, & inclinationes, actusque nonnulli, ad vitam civilis honestatem spectantes, haberi possint; nulla tamen sine illa potest in homine dari vera, & proprie dicta virtus moralis: ac propterea nequit homo absque fide Christi operari opus morale, vere bonum ex fine, & officio. 3. Quia si absque vera fide Christi essent in ho-

(1) *Disp. 14. mem. 1. §. Rufus vero.*

mine veræ virtutes morales, vereque ex illis homo operaretur bonum ex officio, ex genere, & fine, illæ virtutes perducerent homines ad regnum cælorum, & opera illorum vere ad pietatem pertinerent: immo ille homo esset iustus absque verâ fide, contra Apostoli sententiam. Ex quibus omnibus intulit, Augustinum, si forte interrogaretur, quale sit opus pertinens ad pietatem, facile juxta doctrinæ suæ principia responderet: Si homo ex sola facultate naturæ, absque motivo fidei supernaturalis, operatur opera ex vera virtute moralis; illa opera sunt pia, & pertinentia ad salutem, ejusque voluntas sana est: non secus ac D. Prosper concludit: Si dubitari non potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio Conditoris inserta, solus Adam prævaricatus est, & in peccato ejus nemo peccavit.

Secundam propositionem ex priori deduxit: Si enim, inquit, opera moralia, undecunque bona, sunt opera pietatis; multo magis hujus conditionis erunt, si fiant ab homine fidei, & intuitu justitiæ Dei, scelera punientis, & opera bona tam copiose præmiantis, nec non consideratione beneficiorum ipsius, ac maxime effusionis proprii Sanguinis in ara Crucis. Hinc istud argumentum adversus Molinæ doctrinam efformavit: (1) *Dolere de peccato, ut proponitur per fidem supernaturalem esse dolendum, est opus pietatis: Sed Molina dicit, posse voluntatem, sine auxilio gratiæ, dolere de peccatis, secundum quod fides proponit esse dolendum: Igitur secundum Molinam ex naturæ viribus potest voluntas facere opus pium.*

Huic porro solvendo nodo nihil valere ostendit Defensorum ejus effugium, dum inquit, hominem illum juxta Molinam non dolere ex motivo formalis fidei, atque ex ejus influxu, & causalitate; fidemque duntaxat materialiter in eo actu eliciendo se habere: siquidem oppositum ex Molinæ contextu deducitur, ubi legitur: *Præexistente lumine fidei, quo cognoscimus Deum Conditorem nostrum, innumeratque, & maxima beneficia tum naturæ, tum gratiæ, &c.* Id quippe causalitatem fidei satis indicat; quæ in hoc uno sita est, ut veritates supernaturales voluntati proponat, secundum quas operari & ipsa possit.

Ultimo tandem loco fe reulit Thomas de Lemos ad partis adversæ diluenda fundamenta. Concessit operum bonorum distinctionem, ab Arrubale positam; ex hac tamen nihil pro Molina consequens esse, contendit; cum opera moralia, ex fine, & officio vere bona, quæ ex vera virtute morali sobolescant, non nisi dirigente fide, & adjuvante gratia, exeri possint, suoque modo ad finem superiorem evehantur. Concessit pariter, idem omnino esse opus pium, & ad salutem conducens, illudque non nisi ex influxu gratiæ elici posse: sed in hoc caspitasse Molinæ Defensores, propagavit, quod opera, ex veris, germanisque virtutibus moralibus profecta, ipsiisque etiam dolorem de peccatis, propositum non peccandi, ac spem veniæ, sine influxu fidei, & gratiæ elici posse, contenderint, ut ea vera pietatis opera esse negarent: cum e contra hujuscemodi actus, uti veræ pietatis partes, ponere debuissent, ut intelligerent, eos non nisi ex fidei, & gratiæ radice furgere posse.

Reposuit inter alia Petrus Arrubal, eatenus Augustinum hujusmodi habitibus veræ virtutis rationem negasse, quatenus ad regna cælorum minime conducunt. Quod e vestigio confutavit Clemens VIII, Lemosi disputationem persecutus: „ Si Deus, inquit, his operibus, quæ ponit Molina esse moralia ex viribus naturæ, dat ex cer-

ta

CAPUT XXV.

Quid trigesima-tertia Congregatione disputatum?
Quid trigesima-quarta definitum.

Die 10. Novembris 1603. præsentè Clemente VIII. Congregatio trigesima-tertia celebrata est. Disputationis argumentum fuit Articulus secundus quarti Scripti, quod ob enatam superius disputatam difficultatem intermissum fuerat. Videlicet: *An ea omnia, quæ Molina docet circa actus omnes, qui elici possunt a libero arbitrio, simul cum his, quæ de lege scriptæ, dicat, & essent in ordine ad effectum justificationis? Et: An ex iis, quæ de libero arbitrio, & lege affirmat, resultet immediata, ac proxima, vel remota preparatio ad justificationem, & gratiam?*

Loco Arrubalis, jam rude donati, accessit disputaturus Ferdinandus de Bastida, cum Joanne de Salas.

Quod ad primam attinet Articuli partem, Bastida institutum fuit, ea, quæ Molina docet circa actus omnes, qui elici possunt a libero arbitrio, simul cum his, quæ de lege dicit, ab eo non dici, nec asseri in ordine, nec ad effectum justificationis. Id generatim primo; tum speciatim ostendit. Generatim quidem, 1. Quia secundum Molinam liberum arbitrium nihil omnino potest eorum, quæ ad vitam æternam aliquo modo spectant, etiam ut remota dispositio, sive sit actus, sive ratio formalis actus. 2. Quia juxta eundem, liberum arbitrium amisit libertatem ad ea omnia opera, quæ ad pietatem, & consecutionem vitæ æternæ pertinent. 3. Quia actuum, qui eliciuntur ex naturæ viribus, nulla natio habetur in ordine ad supernaturalem finem, suntque omnino insufficientes ad justificationem, etiam ut dispositiones; minimeque conferunt ad salutem. 4. Quia actus, elicitur ex naturæ viribus, nullius sunt meriti, vigoris, ponderis, aut valoris apud Deum.

Speciatim autem institutum probavit, ad singulos actus descendens, quos Molina naturæ viribus asseruit. Ac primo quidem contendit, Molinam ultro concessisse, actus fidei, quos naturæ viribus pares propugnat, mere naturales esse, atque ad salutem minime idoneos. 2. Eundem illum concessisse, ait, actus fidei, a se nativis viribus adscriptos, tales non esse, quales ad salutem desiderantur; nec spem illam esse Christiani, sed solum quoad substantiam actus. 3. Eum propriis naturæ conatibus dilectionem duntaxat tribuisse, quæ ad finem naturalem pertinet, quæque ad justificationem nequaquam sufficiat. 4. Eum contritionem, a natura quidem elicitam, admisisse; sed illam tantum, quæ ad salutem non sufficiat etiam in Sacramento penitentia. 5. Demum Molinam propositum non peccandi, in natura positum, agnovisse; sed illud, quod infra gratiæ limites situm est, nihilque ad finem supernaturalem conducit. Quæ omnia assertionis suæ capita permultis Molinæ Concordiæ testimoniis confirmavit.

Tum ad alteram propositi articuli partem accedens dixit, ex his, quæ Molina de libero arbitrio, & lege docet, non resultare proximam ultiam

lam

ta lege gratiam: Ergo hæc opera, posita a Molina, sine fide, & gratia perducunt ad finem, vel ad illum conducunt. Respondit ille: *Hæc opera, Beatissime Pater, dupliciter possunt dici perducere ad regnum, vel per se, vel per accidens, removendo impedimentum, scilicet peccatum. Primo modo hæc opera non perducunt, sed secundo modo. Cui Sanctitas sua: „ Ergo homo viribus naturæ potest tollere impedimentum ad regnum cælorum. Ad quod ille: „ Homo viribus naturæ potest tollere quedam impedimenta ad regna cælorum, non tamen omnia. Tunc assurgens Thomas de Lemos: Si secundum Molinam, inquit, Facienti totum, quod potest, viribus naturæ, statim Deus conferat gratiam; ergo homo faciendo totum, quod potest, viribus naturæ, tollit omnia impedimenta ad gratiam, & ad Regnum.*

Id confirmavit Sanctissimus Pontifex, inquit: „ S. Augustinus lib. 2. De lib. arb. cap. 2. tom. 1. inquit: Optime namque de Deo existimare, verissimum est pietatis exordium: at secundum Molinam, homo viribus naturæ bene sentit de Deo, videlicet quod sit super omnia diligendus; quod propter eum de peccatis est dolendum, &c. Ergo viribus naturæ potest homo habere verissimum pietatis exordium. Respondit Arrubal: S. Augustinus, recte dixit, optime de Deo sentire esse verissimum pietatis exordium: quia loquebatur de existimatione ex fide, secundum quod recte sentimus de Deo: sed si illa existimatio de Deo non est ex fide, non est pietatis exordium. Respondit exultavit Beatissimus Pater: Si Molina ait, hominem posse assentiri mysteriis fidei, tanquam revelatis, & quia revelata sunt, & proposita ab Ecclesiâ, tanquam a Deo revelata; quomodo non existimat de Deo ex fide? Et quomodo hæc non pertinent ad pietatem? Reposuit nihilominus iterum Societatis Defensor: Clarissime dicit Molina, illam fidem esse opinionem humanam; non autem existimationem ex fide. Ideo fides illa, quam ponit Molina viribus naturæ, non est pietatis exordium.

Demum, rogata dicendi venia, Pontificis argumentationem persecutus est Thomas de Lemos; ut Molinæ circuitus, studiosaque corvinationes occuparet: ac paulo post soluta disputatio est.

Judicium de difficultate, superius agitata.

(1) „ Die 24. Junii, hora 20. anno Domini 1603. censuerunt omnes, ejusmodi opera, de quibus in dubio proposito agitur, esse opera pia, pertinentia ad Deum auctorem naturæ, & gratiæ; & hanc esse expressam doctrinam S. Augustini, & Conciliorum. Huic tamen communi judicio non subscripserunt D. Episcopus Aquilanus, & P. Regens Collegii Carmelitarum. Absolvitur Sessio prope horam 24.

(1) *Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Congregatio resolvit, ejusmodi opera, si, dato hoc impossibili, fierent ab homine ex solis viribus naturæ, etiam si non essent facta ex motivo fidei, & pietatis supernaturalis, esse pia, & secundum Deum auctorem naturæ & gratiæ, ac propterea effici non posse absque speciali Dei adjutorio.*

Unde deducitur, Molinæ doctrinam de hujusmodi actibus nullo modo vindicari posse a nota Pelagianismi. Nam Pelagus in Epit. ad Demetriadem Virginem, ut refert S. Augustinus lib. De Gratia Christi, c. 27. & deinceps, & Julianus Pelagianus peculiariter errant, asserentes, posse hominem ex bono naturæ, sine ullo speciali Divinæ Gratia auxilio, veras virtutes comparare, & ex illis bene operari, & recte vivere: quod etiam docuit Cassianus cum Semipelagianis, qui quamvis addidissent, hujusmodi opera ad salutem non pertinere, neque hominem perducere ad regnum cælorum; impugnat tamen ex professo fuerunt a S. Augustino, ac confut. ex c. 3. lib. 4. contra Julian. Quam etiam errorem Sanctus Prosper oppugnavit in lib. contra Collat. c. 27.

lam dispositionem ad justificationem, & gratiam; immo nec remotam, quæ ad eas per sese conferat, sed remotam solum, quæ ad eas per accidens conducatur, removendo scilicet impedimentum, quo homo gratia, & justificatione indignior efficitur. Duo priora congestis Molinæ testimoniis ostendit: quo ad tertium vero, in quo sitam Molinæ sententiam dixit, probavit, non modo sine Pelagiani erroris periculo, verum etiam juxta S. Thomæ, aliorumque magni nominis Theologorum doctrinam, admitti posse hujuscemodi remotas dispositiones ad gratiam, & naturæ peni profectas.

Defendit e contrario Thomæ de Lemos, quæcumque Molina de libero arbitrio, ac de lege conferendi gratiam asseruit, id totum in ordine ad justificationem, & gratiam docuisse: quod et si in superioribus Congregationibus satis, superque probatum esset, rursus tamen compendio demonstravit. Eo sine Molinæ doctrinæ seriem tenuit; in cuius primo gradu assertionem hanc posuit, unde cætera omnia, longe deteriora, perverſe deduxerat: *Homo in natura lapsa, omni auxilio gratiæ destitutus, easdem vires habet, ac si in puris naturalibus conditus fuisset*; Hinc etenim humanam naturam Originali peccato minime læsam intulit: Hinc parvulis sine Baptismo decedentibus locum immortalitatis extra regnum cælorum concedendum, effudit, ubi meliorem in naturalibus vitam, omni mentis, & corporis vitio immunem, perpetuo ducerent, quam ullus unquam mortalium duxerit: Hinc virtutum moralium apparatus, victoriam tentationum, propositum non peccandi, spem veniæ, fidei, & dilectionis naturalis actus, lapsæ naturæ viribus patres existimavit.

Satisfecit deinde Thomæ de Lemos adversæ actionis fundamentis. Atque in primis ad generales primæ partis probationes dixit, Molinam naturales dispositiones, gratiæ duntaxat commensuratas, negasse; non eas, quæ, citra commensurati onem, ad illam infallibiliter aditum parant. Quæ in re nihilo melius Pelagianis fenserat; cum ii non ita bardi essent, aut hebetes, ut naturam gratiæ commensurari, sibi fingerent. Nec vero curandum addidit, quod eos actus nullius valoris, & meriti factus esset novus Dogmatistes: idem quippe de actibus virtutum moralium Julianus Pelagianus fatebatur; tamen oppositum ex ejus principiis, quæ Molinæ communia sunt, deduxerat Augustinus. Ad speciales postmodum rationes descendens, ostendit, Molinæ protestationes, quibus actus, a se descriptos, & naturæ facultati concessos, nec ad justificationem, nec ad salutem valere profiteretur, factis repugnare: atque in hoc maxime Novatoris hujus versutiam probari, quod contraria plerumque concedere cogatur, suæque sensa dissimulare, ut dogmatum suorum virus abscondat.

Non ab simili modo alterius partis fundamenta suffodit. Dispositiones naturales ad gratiam, partim immediatas, partim mediatas, sed per sese ad illam conducentes, a Molina admittas; nostræque salutis exordium, ab ipso in natura constitutum, ostendit; dum gratiæ facientibus, quod in se est, infallibiliter conferendæ legem commentus est: Tamen illum pro Catholico nequaquam habendum voluerit, si hominem nativis conatibus impedimenta gratiæ removere posse duntaxat, existimasset.

Ad singula cursum reposuit Ferdinandus de Baftida: duo tamen, unde cætera pendere putabat, paulo plenius attigit. Conquestus est, Molinæ opiniones de paribus lapsæ, & puræ naturæ viribus, nec non de lege conferendi gratiam homi-

nibus, quod in se est facientibus, a Lemofio fuggillari; cum & priore Medina, Sorus, & Alvaresius, (quem ibi præsentem digito monstravit) uti probabilem docuissent: posteriorem autem potior Thomistarum pars, duce Doctore Angelico, propugnaret.

Utrumque perinde consutavit Lemos. Multa pro germana Angelicæ doctrinæ expositione protulit: quæque in libris Sententiarum hoc de argumento subobscura videntur, collatis aliunde testimoniis, palam fecit.

Dixit quoque pro sui defensione Didacus Alvares, nec se in Molinæ doctrinæ patrocinium appellari, aut peregrinos sibi sensus affingi, impune passus est. Baftidam falsi postulavit; nihilque se vel per somnium in publicis prælectionibus hujuscemodi docuisse, contestatus est.

Disputationi se demum obtulit Joannes de Salas. Pauca gravi cum supercilio dixit: „Molinæ, inquit, melius loquitur, quam omnes alii Scholastici Doctores, de lege conferendi gratiam facientibus, quod in se est. Nam secundum alios Deus ita vult, omnes homines falvos fieri, ut dicant, Deum dare omnibus absolute auxilia sufficientia; & Deum illa dare facientibus, quod in se est, viribus naturæ. Melius vero est dicere, Deum illa dare cum tali temperamento, quam dare absolute. Cum enim Deus foveat studia virtutum, melius videtur ea fovere, si facientibus, quod in se est, gratiam tribuat, quam si illam tribuat absolute.

Inconsultum loquendi modum insectatus est Thomæ de Lemos, eique crimini dedit: *Si Deus, inquit, foveat studia virtutum: ergo Deus excitatur ab homine. Quid amplius dici potest, quid potius potest expectari? Montem eo verbo tetigit; & ille fumigavit. Putas, reposuit Salas, cum Tirone loqui? Agis cum Veterano, qui publice multos annos in Hispania docuit, & sæpius cum vestris conversationes habuit. Putas igitur, me nunc delirare, ut dixerim, Deum excitari a nobis? Dixi, melius loqui eos, qui dicunt, gratiam dari cum illo temperamento Molinæ, cum in hoc appareat magis, Deum fovere studia virtutum.*

Nihil intemptiva illa novi Melitis ostentatione commotus est Thomæ de Lemos: sed ora illi multo confidentius verberavit. „Ita dixisti, Pater, & Sanctissimus audivit: neque necessarium est temperamentum illud Pelagianum, quod Sancti Patres docuerunt; inferre ex nobis initium salutis. Temperamentum catholicum, quo Deus confert gratiam, est sola Divina voluntas, & misericordia: Dat enim quibus vult, quando vult, quantum vult; non autem quia homo facit, quantum in se est; ne homo incipiat, & gratia sequatur. Neque illud necessarium est, ut homo libere salvetur, & ut salus sit posita in manu arbitrii nostri; satis enim est, quod sit posita in manu nostra, præmota, & præventa a Divina Gratia.

Deferuit aliquantum, his auditis, novus miles, benigniorique expositione propositionis suæ sensum emollire studuit; servato tamen Molinæ dogmatis capite: Homines scilicet libere non salvari, nisi facientibus, quod in se est, solis naturæ viribus, gratia conferatur. Sicque Congregatio soluta est.

Judicium de Propositione superius controversa.

(1) „Die Martis, 11. Novembris anno Domini 1603. hora 16. Dixerunt omnes, ea, quæ Molina docet de viribus naturæ, ad actus fidei, spei, &c. ordinem habere ad justificationem, & esse dispositionem proximam, & immediatam ad gratiam prævenientem; mediatam vero, & remotam ad justificationem, maxime supposita lege, de qua Molina. Dissentiebant D. Episcopus Aquilanus, & P. Regens Carmelitarum.

CAPUT XXV.

Quid trigesima-quinta Congregatione disputatum? Quid trigesima-sexta definitum?

Die 18. Novembris 1603. coram Clemente VIII. habita est Congregatio trigesima-quinta. In quaestione venit Articulus tertius Scripti quarti: *An, quod liberum arbitrium, & gratia sint due causæ partiales ad eundem actum perficiendum; & quod liberum arbitrium ex se, separatum a gratia, nihil habeat a Deo, nisi possibilitatem illam, quam Deus tribuit ab initio libero arbitrio; sit ex sententia expressa Sancti Augustini; aut ex illo colligi possit; An potius conveniat cum Pelagio, præsertim loco, relato a S. Augustino lib. De Gratia Christi, cap. 3. & 4.*

Primum duntaxat articuli partem de causarum partialium efficacia tractavit Ferdinandus de Baftida. Causas partialium duplicis generis distinxit. Alias partiales vocavit partialitate effectus; quæ scilicet ita inter sese effectum partiuntur, ut unaquæque partem ejus producat: alias partiales dixit partialitate causæ, quarum qualibet a principio intrinseco operatur; nulla tamen in effectum influeret, aut reipsa operaretur, nisi concurreret alia. Gratiam itaque, & liberum arbitrium secundo sensu causas partialium esse, ac congruenter appellari, prolixo sermone demonstravit; multisque S. Augustini, Conciliorum, ac Theologorum testimoniis confirmavit.

Dixit postea Thomæ de Lemos. Baftidam controversiæ statum alio diversisse, & in aliena plane quaestione enodanda inutiliter desudasse, conquestus est. „Multum, inquit, laboravit Pater, in ostendenda re clarissima; quod videlicet ad actum concurrat Deus, & liberum arbitrium; ita ut nec solus Deus, nec sola voluntas sufficiat ad producendum actum prænitentis v. g. sed liberum arbitrium habeat propriam activitatem naturalem, quam illi Deus dedit a principio. Admittimus hæc omnia; sed dicimus, illam activitatem esse potentiam remotam, vel capacitem respectu operum supernaturalium: cui potentia remotæ Deus auxiliis suæ Divinæ Gratia dat virtutem supernaturalem; per quam potentia illa liberi arbitrii constituitur in actu proximo, applicatur, movetur, & determinatur ad operandum supernaturaliter: ita quod liberum arbitrium habeat ex Deo, & ex gratia, ut libere bene utatur sua activitate. Idcirco alio ex capite Molinæ propositionis, in quaestione vocatæ, virus aperuit. Eo quippe sensu Deus, & liberum arbitrium, causas partialiales a Molina appellari monuit, quasi liberum ar-

bitrium, concurrans cum gratia, concurrat independentem ab ea, nec per illam determinetur, sed verius determinet illam: ac propterea non omnia Divinæ Gratia tribui posse, sed partem. Quem profecto exponendæ partialitatis efficaciam modum, e Massiliensium officina derivatum, & a S. Augustino, Sacris Conciliis, Romanisque Pontificibus strenue debellatum ostendit.

Molinianam illam expositionem a Semipelagianismo liberare, tentavit Ferdinandus de Baftida. At, cum S. Augustini testimonium turpiter adulterasset, ipsamque objectionem pro S. Doctoris definitione protulisset; asperioribus verbis a Lemofio exceptus est. Quapropter, ut vices repararet, digressus ad impugnandam Gratiam per se efficacem, unde liberi arbitrii determinationem repetendam, Lemofius ostendit, defensores ejus, uti violata libertatis reos, egit. Didacum Alvaresium, præsentem licet, præ cæteris durius habuit; tanquam qui Lutheri delirium in libro, a se nuper edito, instaurasset: ubi illud Isaiæ 10. exponens: *Quomodo, si elevetur virga contra elevatam se, aut exaltetur baculus, liberum arbitrium ligno mortuo, & baculo inanini comparaverit.*

Viri, aliunde mitis, ac mansueti bilem movit censura acerbitas. Quare sermonem abruptens „Non mirum, inquit, Beatissime Pater, quod calumnietur, & truncate afferant mea scripta; id enim in referendis auctoritatibus sanctorum Patrum sæpissime fecerunt, & faciunt. Legat Pater inferius in eodem contextu verba mea; & evanescet ejus calumnia. . . . Habent quidem ista similitudinem, dixi, sed non omnino eandem aequalitatem; Similitudinem quidem in eo, quod liberum arbitrium a Deo recipiat non vires solum, seu possibilitatem agendi, sed & motum, & actionem, qua fiunt opera bona. In hoc tamen est dissimilitudo, quod instrumentum, non ex libero suo rationis iudicio, sed necessitate, & vi quadam impellitur ad ætifice, nullum habens iudicium neque de eo, ad quod fertur, neque super medio, per quod fertur; libera vero hominis anima a Deo accipit suavitatem quandam, & inclinationem, qua ex proprio iudicio movetur, ex libera, & spontanea voluntate ad actum, & motum, &c. Et immediate post hæc verba subiunxit: *Itaque nisi movetur a Deo, nihil operatur causæ secundæ, seu naturales, seu libera; motus tamen operantur, unaquæque juxta naturam suam; naturalis naturaliter, libera libere &c.*

Non obsuit tam aperta, tam dilucida expositio, quominus Baftida calumniam instauraret. Adduxi, inquit, expositionem illam Patris Regentis in Isaiam, ut ostenderem, aliter agendum de libero arbitrio, quam de instrumento mortuo, ut tu facis. Unde dico, tuam propositionem, ut jacet, esse contradictoriam Sacro Concilio Tridentino, quod anathematizat, qui dicunt, liberum arbitrium esse velut inanime quoddam. Tu autem inquis: Causa se habet respectu Dei, tanquam corpus mortuum; ergo, cum sermo mihi sit cum his Patribus, qui hæc scripserunt, non inaniter a me productus fuit.

Ventum subinde est ad modum, quo gratia facit, ut homo faciat. Sed ea de re disputare, semel, & iterum detrectarunt Molinæ Vindiciæ. Quaestione in hoc uno positam, dixit Joannes de

(1) Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Conclufum fuit, ea omnia, quæ Molina docuit de viribus naturalibus liberi arbitrii hominis, constituti in statu naturæ lapsæ, ad actus fidei, spei, dilectionis, & poenitentia, & ordinem habere ad justificationem, & secundum illius doctrinam, esse dispositionem proximam, & immediatam ad gratiam prævenientem; mediatam vero, & remotam ad justificationem, maxime supposita lege, quam Molina dixit, a Deo Patre constitutam, de donis gratiæ hominibus distribuendis; & hæc doctrinam fuisse ab illo traditam contra SS. PP. sententiam, & Ecclesiæ definitiones.